viam, ut nos inde eripiat; hanccine negligere poſſumus, eamque dedignari? *Auctor recens.*

S. Franciſci exemplo docemur hominem licet infirmum Dei ipſius oculos in ſe convertere poſſe.

Ne dixerimus amplius in homine nihil eſſe, quod in ſe oculos Dei convertere poſſit, & fragile opus hoc nihil in ſe habere, quod nonniſi Auctoris ſui contemptum, ac deſpectum mereatur. Hoc crediderat David, æque ac nonnulli veteres Patriarchæ. Sed ea, quæ hodierna die accidunt in æde ſacra Portiunculæ, hunc nobis errorem debent auferre. Franciſcus Aſſiſinas vir ille in ſpeciem abjectus adeo, & qui mundi probrum, ſordeſque videtur, tamen ſingulari beneficio dignus habetur præſentia Jeſu Chriſti, qui de cælo in terram dignatur deſcendere, ut hic perfectum ſui videat imitatorem. Recens, atque renidens lumen ſeſe in Sanctum hoc ſacellum effundit, ut olim in Templo Salomonis. Apparet ibi Homo Deus, non quidem velut Judex inexorabilis, ut ſontes damnet, ſed tanquam Pater miſericordiæ, ut eorum miſereatur. Adeſt Beata Virgo Angelorum legione ſtipata, atque tota hæc auguſta celebritas in eo ſita eſt, ut glorioſo Patriarchæ S. Franciſco omnium Indulgentiarum celeberrima concedatur. Verum igitur eſt hominis imbecillitatem non eſſe abſolutam oppoſitionem viſitationi Creatoris, quamvis verum ſit, hanc ex mera illius miſericordia procedere, quæ nullius objecti humilitate poteſt coarctari. *Fromentieres.*

Integritas, & ardens S. Franciſci caritas pro peccatorum ſalute, eo admirabilior eſt, quo facilius eſt, ardentes zeloteſque viros aberrare, & ſub ſpecie tuendi honorem Dei, ejuſque majorem gloriam quærendi, contendere, ut regnum ejus diruant in animabus, quæ ſanguine ejus redemptæ præcipuum ſunt objectum, in quo ſibi complaceat Deus. Hoc pacto temere egerunt duo illi diſcipuli, qui Salvatorem oraverunt, ut ſibi permitteret igne de cælo demiſſo abſumere Samaritas, cum horum inurbanitas eorum nimis amarum zelum provocaſſet. Sanctus noſter Patriarcha longe oppoſitam rationem hodierna die ſervat. Si qua pollet apud Deum auctoritate, & Salvator illi optionem facit, quodcumque voluerit petendi, nonniſi pro peccatoribus petit. Orat, ut eorum mentes illuminet, ut eorum corda moveat, ut in illis infinitum peccati horrorem cieat, ſupremumque dolorem Numinis læſi. Vult Franciſcus, ut totum orationis ſuæ robur verſetur in peccatorum utilitatem, ex qua cum ille proficere poſſet, omnem illius fructum applicare conatur. Quæ cum ita ſint; quid tandem nos ſentire decet? Sanctus vult nobis precum ſuarum applicare fructum; ipſi vero pro virili non adnitemur hanc utilitatem percepturi? Ipſe obliviſcitur ſui, ut nos lucretur Deo, nos adverſabimur conatibus caritatis ejuſdem fatali, & Dei, & noſtrummet ipſorum oblivione? Seſe ille conjungit cum voluntate Dei ſanctificationem noſtram cupientis; numquid ipſi æternum ſanctis Dei voluntatibus adverſabimur? Denique ille pro nobis ſancta importunitate fatigat Dominum; numquid ipſi obluctabimur, & cæleſtia contemnemus, ac animæ noſtræ tantam geremus curam, quantam ſi anima eſſet hoſtis infenſiſſimi? *Formentieres.*

Maximi fructus Indulgentiæ de Portiuncula.

Nonne mirum eſt celeres intueri progreſſus hujus Indulgentiæ de Portiuncula? Nonne magnum eſt argumentum agendarum Domino gratiarum, eique debitas conferendi laudes pro tanto beneficio? Indulgentia hæc ſeſe effudit in omnes fere terrarum plagas; fructus ejus adeo ſunt uberes, ut omnium ætatum, ſexuum, conditionum homines illos fuerint experti. Quis recenſere poſſet numerum peccatorum, quos univerſalis hæc gratia convertit, ac immutavit, illos a molli, noxioque vitæ genere ad auſteram, ac pœnitentem vitam traducens? Quot vetera, ac recentia debita cum Dei juſtitia conflata hoc pacto diſſoluta fuerunt? Quot animæ olim captivæ, & ſub crudeli Satanæ ſervitute gementes, crudele, & non ferendum jugum hoc excuſſerunt fruituri amabili ſervitute Salvatoris Mundi? Alii experti ſunt valido hoc præſidio cupiditates ſuas deferbuiſſe. Alii concupiſcentiæ ſuæ igniculum extinctum fuiſſe. Hi ſe non ultra ultionis, & iracundiæ furiis corripi. Illi ſe non ultra terrenis affici gaudiis; Evangelicum jugum ſibi ſuave, & jucundum videri, quod pridem illis non ferendum videbatur. Quot fideles, quos ſervilis tantum metus coercebat, in ſemet experti ſunt ſpiritus adoptionem, poſtquam emundati fuerunt aquis ſalutaribus, quæ S. Franciſci meritis fuerunt conceſſæ? Qui lethali laborabant letargia repente excitari viſi ſunt, & mox vitam ducere prorſus novam, & pleni zelo, & fervore non ſolum beata hæc principia ſancta perſeverantia coronarunt, ſed exemplorum ſuorum ſanctitate alios etiam inflammarunt. *Sermo Manuſcriptus.*

Contra negantes Indulgentiam Portiunculæ.

S. Franciſci ſpiritus a Summo Pontifice recognitus, ab omnibus fidelibus probatus fuit per authentica miracula, quæ facta fuerunt in confirmationem Indulgentiæ, quam Salvator Sancto huic Patriarchæ conceſſerat. Sacra Traditionis depoſita! Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Orthodoxæ! hujus uſque ad ſæculorum finem eritis monumenta; Ora obſtruentia incredulis ſpiritibus qui de certiſſimis rebus diffidentes, omniaque in dubium revocantes, quaſi brachium Dei abbreviatum eſſet fidem habere nolunt iis etiam, quæ ſenſibus ſuis percipiunt tanquam bruta jumenta. Ut fidem noſtram ædificemus, & credamus Indulgentiam S. Franciſco conceſſam, ſufficiant nobis argumenta ex Traditione deſumpta, & tanta nube teſtium ſuffulta. Relinquamus infidelibus miracula; neque jactemus profanam prudentiam, quæ ſcrutari vult omnia, eaque ad ſenſum ſuum redigere; Apoſtolo admonente, ne credamus omni ſpiritui, ſed in dubiis noſmet ſubjiciamus Eccleſiæ. Cum igitur omnia enarrantur prodigia, quæ evenerunt in Indulgentia S. Franciſco conceſſa, Præſulem illi fines præſtituere volentem obmutuiſſe: Cedamus huic veritati, quæ hactenus pro certiſſima habita eſt, eique debitum obſequium, ac fidem habeamus. *Sermo Manuſcriptus.*

Contra Chriſtianos oſcitantes, qui negligunt lucrari has Indulgentias.

Quam durum eſt turpem inſtituere comparationem horum oſcitantium Fidelium, qui Indulgentias vel negligunt, vel irrident, cum Hæreticis, qui omnia commenta ſua, ac deliramenta commendant, cæremonias vero, ſanctoſque ritus noſtræ Religionis ſibi vertunt in ludibrium. Etenim nonne verum eſt hunc Indulgentiæ de Portiuncula theſaurum eſſe in Eccleſia tanquam talentum abſconditum in agro, quod eſt inutile ignavis fidelibus, qui ſæculi torrenti ſe trahi ſinunt, & relaxationem, quæ in mundo graſſatur ſecuti, non extendunt manum ad theſaurum hunc, qui ipſi offertur, & ad quem acceptandum ſollicitantur? Hæreticus ſimiliter audit vocem Eccleſiæ, a qua receſſit, & quæ dicit illi: Memento ex qua petra exciſus fuiſti; ne obliviſcaris Abraham patrem tuum, nec Saram matrem tuam, quæ tot cum doloribus parturivit te. Habet illa pro te vias reconciliationis; hinc quidem Sacramentorum piſcinam, in qua elui vales, ac inde emergere æque mundus, ac puer vix ex ſalutaribus Baptiſmatis aquis egrediens. Inde habes Indulgentias S. huic Patriarchæ conceſſas: Venite & emite abſque argento; hic novus eſt fons ex latere Salvatoris emanans. Sed hæreticus aurem obſtruens voci Eccleſiæ tanquam Chriſtianus omni pietate vacuus, poſt acceptam medicinam perit, quæ proculdubio illius curationem operabatur. Tange cor Deus miſericordiarum, & obliviſcere iniquitatum ſuarum. Moveat te illorum pernicies, quos tuus amor non movet, & fac, intelligant non deeſſe tibi gratias omnipotentes, quibus rebelles etiam animos vales compellere. *Sermo Manuſcriptus.*

Hortatio ad ignavos Chriſtianos qui ex hac Indulgentia fructū percipere nequeunt.

Sive igitur conſideremus authenticam hujus Indulgentiæ veritatem, eamque ab eodem J. C. concedi, ſive ſpectemus Matrem miſericordiæ pro illa laborantem, ſive cogitemus S. Franciſcum primum hujus petitionis auctorem; Filio Dei, glorioſæ ejuſdem Matri, atque Franciſco unam eſſe mentem, videlicet opem ferendi, ut ad extremum uſque quadrantem in hac vita diſſolvamus debita noſtra per hanc pleniſſimam Indulgentiam, ut digni ſimus fruitione Dei noſtri ex eo momento quo carne hac mortali exuemur. Nonne eandem habere deberemus cupiditatem colligendi pretioſum hunc theſaurum, quam avarus, ingentem auri vim defoſſam humi inveniendi? Sed heu! bonum inviſibile cupiditatum non ciet. Fruſtra nobis exhibetur, remedium hoc amplum eſſe, & generale pro omnibus criminum generibus; Fruſtra monemur, illud nobis admirabili facilitate animæ ſalutem afferre: hæc eadem facilitas nobis præbet anſam illud negligendi, adeo terræ inhæremus. Excutiamus ergo lethalem hunc ſoporem, & proficiamus hoc ſalutari remedio, quod eo facilius comparatur, & aptius eſt noſtris infirmitatibus medendis, quia idem Salvator noſter, hic ſupremus animarum noſtrarum medicus, dignatus eſt illud nobis gratificari. *Sermo MS.*

Contra eos qui negligunt lucrari Indulgentias.

Quis non admirabitur inſignem mortalium inſaniam, præſertim vero nequiſſimorum peccatorum, qui ubi ſuadentur evitare ſeveras ſæculi futuri pœnas jejuniis, eleemoſynis, & mortificationibus corporis, quas requirit pœnitentia, conqueruntur de remedii adeo neceſſarii difficultate, & cum illis exhibetur via Indulgentiarum, quæ eſt ſuavior, hanc negligunt, atque contemnunt; & non deſunt etiam, qui vix ſibi perſuadeant Deum uſque huc eſſe miſericordem. Quid igitur agendum eſt cum his ægrotis adeo moroſis, quibus omnia diſplicent remedia, qui omnibus adverſantur, qui dolent modo quod jugum Domini ſit nimis grave, & modo nimis leve eſſe queruntur? numquid exprobrandi ſunt, quemadmodum S. Paulus olim Galatas exprobravit; eos ſecreto neſcio quo præſtigio faſcinari, & non vereri ea ſupplicia, quibus eos ſua objicit negligentia? Num veſtram inſinuabo infidelitatem? Nequaquam: etenim proculdubio loquor apud Fideles, & homines in Eccleſiæ ſinu educatos; ſed noſtræ ſuccenſeo ignaviæ, quæ inanes ſcrutatur prætextus ad evitandum modicum illud crucis, quod hac in vita perferendum eſt, ut tanto bono perfruamur.

Preces pro aliis oblatæ facilius exaudiuntur.

Fateamini neceſſe eſt, cum pauper pro ſeipſo petit, miſericorditer audiri, ſed cum petit pro aliis audiri cum admiratione. Cum orat pro ſe, propter illius miſeriam exauditur; cum vero pro aliis, propter ipſius merita exauditur. Hæc tamen non eſt vulgata poſtulandi ratio. Nimis noſtra quærentes aliorum facile obliviſcimur, cum interim S. Franciſcus pro peccatoribus omnibus agat pœnitentiam. Obliviſcitur ſui, millies ſeipſum immolat pro mortalium omnium ſalute, & ſacrificium hoc in Portiunculæ ſacrata æde inſtaurat, peccatores conciliaturus cum Deo, per Indulgentiam quam obtinet. Seſe Deo offert tanquam publicam victimam, ſatis voti ſui compos ſi ſacrificium ſuum æqui, bonique fiat, quin ullam pro ſe poſtulet gratiam. *Ex pluribus Auctoribus deſumptum.*

Confidētiæ cauſſam pro peccatoribus proficere poſſe ex hac Indulgentia. Oratio ad S. Franciſcū.

Licet paulliſper oculos conjiciamus in multitudinem iniquitatum noſtrarum, vel in earum gravitatem, nobis diffidendum eſt de nobiſmetipſis, noſmet humiliare debemus, noſque tanto beneficio indignos exiſtimare. Verum ſi cogitaverimus ipſum Dei Filium nos tanto miſericordiæ ſuæ dono

præver-

prævertere; omnis nobis eſſe debet confidendi cauſſa ac noſmet eum in ſtatum conſtituendi, ubi proficere poſſumus medio adeo facili ad emergendum ex tot malorum abyſſo, ubi conſepulti ſumus. O Sancte, tu pro peccatoribus petiiſti inſignem hanc Indulgentiam: tu pro illis obtine quæſo mihi etiam ſcintillam ignis illius, ardoriſque Seraphici, qui animavit te, eo in ſermone, quem habuiſti ubi primum hæc Indulgentia evulgata fuit, ut evincere valeam corda ignava, ac indurata de tanti beneficii pretio, & de ea neceſſitate, in qua ſunt ex eo proficiendi, eo inquam in ſermone, qui in omnium cordibus tantam excivit cupiditatem perfruendi fructu zeli tui, ut ex omnibus Europæ regnis ad illud promerendum plerique confluerent. Sed hodierna die hanc nobis gratiam deprecare, ut noſtræ utilitatis ſenſu magis afficiamur, & pluris faciamus tantum boni, quod nobis procuraſti. Non minor tibi apud Deum auctoritas, aut pro mortalium ſalute minor zelus eſt, quam olim. Utere igitur utroque ad excitandos Auditores meos ut fruantur bono, quod in hereditatem reliquiſti filiis tuis, & cujus optaſti Fideles omnes eſſe participes. Ne ſinas quæſo imperfectum opus tuum; & quandoquidem adeo inſigne bonum illis obtinuiſti, fac, ut Deus in illis cieat deſiderium illud ſibi applicandi, veluti viam tutiſſimam, qua poſſint aliquando pervenire ad gloriam, qua frueris. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

PRO DIE FESTO ET PANEGYRICO
OMNIUM SANCTORUM
MONITUM.

Quandoquidem fieri nequit, quod non ſemel admonui, Concionatoribus ſupellectilem ad ſingulos Sanctos exornandos ſuppeditemus, credidi me huic tertiæ Operis mei parti finem non melius imponere poſſe, quam abunde ſuggerens ea, ex quibus exornari valeat Omnium Sanctorum generatim Elogium. Hoc eſt Eccleſiæ ipſius mentem aſſequi, quæ ſtatam indixit diem Omnium Sanctorum Feſtivitati recolendæ; ea de cauſſa, quia cum infinitus propemodum ſit eorum numerus, ut debitus illis cultus adhiberetur, ſe teneri cenſuit ad eam inſtituendam celebritatem, qua illos in communi veneraretur.

Ceterum cum mihi hunc potiſſimum finem propoſuerim, delectum facere eorum, de quibus vulgatius ſermo haberetur, munere meo defunctus ſum, cum omnium characterum Sanctos viros elegerim, ita ut fieri nequeat, ut aliquis eorum, quos præterivimus, rationem non habeat cum aliquo eorum, de quibus verba fecimus, ſi minus omnimodam habeat ſimilitudinem.

Monitos autem lectores meos volo, in hoc generali Sanctorum omnium Panegyrico non latius excurſuros eſſe in magnitudinem felicitatis, quam poſſident; quoniam hoc argumentum alibi uberius pertractatum eſt, ſub Titulo Beatitudinis; *ſed tantum nos orationem habituros de viis, quibus uſi ſunt, ut illam aſſequerentur; de exemplis virtutum, quæ nobis præſtantiſſima reliquerunt; & quo pacto ſinguli in ſtatuum & conditionum tanta varietate ad ſanctitatem pervenire poſſimus.*

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Panegyricarum Orationum Synopſis hujus argumenti.

Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, ſtantes ante thronum. Apocalypſ. 7.

I. HÆc multitudo numero carens, ex omnibus terrarum populis conflata, indigitat cœtum eorum omnium, qui ſcripti ſunt in libro vitæ, & quorum nomina revelabuntur ea die, qua ſinguli ſecundum opera ſua ſunt recepturi. Ingentem hanc Sanctorum copiam Eccleſia peculiari cultu hodie proſequitur, cumque illam conſtituat argumentum ſolemnitatis præcipuæ, vult, eamdem nobis filiis ſuis eſſe communis lætitiæ, & conſolationis cauſſam, oſtendendo nobis, neminem eſſe, qui non poſſit aliquando in beata, ac innumerabili hac turba Sanctorum recenſeri, quorum nobis proponit & gloriam celebrandam, & legenda veſtigia. Tria, ut plurimum, nos a Sanctitate deterrent. Sanctorum numerus adeo arctus nobis exhibetur, ut ſpem adjiciamus ad illum ſanctitatis apicem perveniendi. Sanctitatem nobis fingimus adeo arduam ac difficile comparandam, ut opus Sanctificationis noſtræ deſeramus, antequam illi manum admoveamus. Ignoramus adminicula ſanctificandi noſmetipſos; & colorem hunc prætexentes illa negligimus. Ut triplici huic malo occurrat Eccleſia, quid agit hodierna die?

1. Nos ad noſtrummet ſanctificationem excitat, proponens nobis turbam magnam Sanctorum.

2. Injicit nobis ſpem, ut ſanctificatione ipſa Sanctorum juvemur interceſſione.

3. Eorum proponit exempla, ut in operis noſtri perfectione duces illos ſequamur. Magnus Sanctorum numerus eos ad noſmet ſanctificandos inflammat. Eorum interceſſio nos in hoc opere adjuvat; exemplum vero docet, quo pacto ſanctificemur. *Ex ſpecimine Panegyricorum.*

II. *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt Regnum Cælorum.* Matth. 5. S. Ambroſius hæc Salvatoris verba explicans, animadvertit, in Chriſtiana morum diſciplina beatitudinem initium ducere ex eo, quod ſecundum hominum ſententiam conſtituit ipſam calamitatem: videlicet ab ipſa paupertate. *Beati divites, mundus ait; Beatum dixerunt populum, cui hæc ſunt, Beatus populus,* (*Pſ.* 143.) David ait, *cujus Dominus Deus ejus. Beati pauperes ſpiritu,* Salvator inquit: Quæ verba æque vera ſunt, ſeu de præſenti vita, ſeu de futura intelligantur; quippe ii ſolum, qui pauperes ſunt ſpiritu, videlicet qui ſæcularibus curis expediti ſunt, beati ſunt, quantum homo in hac vita beatus eſſe poteſt; & hæc ſpiritus paupertas, quæ ſola conſtituit veram hujus mundi felicitatem, ſola via eſt, ut ad perfectam vitæ alterius felicitatem perveniatur. Hinc Salvator, qui hactenus locutus fuerat per os Patriarcharum, & Prophetarum, os divinum aperiens, ut per ſe homines erudiret quaſi fundamentum doctrinæ Cæleſtis, hoc ſubſternit principium, quod re adhuc integra evertit omnia mundi placita, quæ eſt impugnaturus: *Beati pauperes ſpiritu.* Sed non hic ſubſtitit, ſed in toto hodierni Evangelii decurſu deinceps aperit omnes vias felicitatem aſſequendi, & genera virtutum, quas Sancti exercuerunt, & nobis proponit duas validiſſimas rationes, quæ in animabus noſtris excitare valeant pietatis amorem, exemplum, & retributionem. *Beati pauperes;* hoc ſanctitatem efficit: *Quoniam ipſorum eſt Regnum Cælorum;* hæc merces eſt. Conſiderandum eſt igitur

1. Sanctos reliquiſſe nobis exempla, quæ nos ad noſtram debent excitare ſanctificationem.

2. Sanctos in Cælo frui beatitudine Dei ipſius, ideoque nobis ad eamdem comparandam eſſe adnitendum. *Ex Specimine Panegyricorum.*

III. *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam: quoniam ipſorum eſt Regnum Cælorum.* Matth. 5. Si ad beatitatem adquirendam pati ſufficeret, nullus in terris mortalium eſt, qui jure ſuo contendere ad illam minime valeat; nemo enim eſt, qui non patiatur; ſed ſupremæ retributionis promiſſio ad eos pertinet tantum, qui propter juſtitiam patiuntur. Sancti omnes, quorum memoriam hodierna luce colit Eccleſia, hunc præſtulerunt characterem; non niſi per paſſionem ingreſſi ſunt in gloriam Chriſto duce, & auſpice. Singuli tulerunt particulam dominicæ crucis; omnes de Calice ejuſdem biberunt; ac felicitatem ſuam debent perſecutionibus, quibus acti fuerunt: hoc pretium eſt, quo beatam ſibi vitam compararunt. *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam.* In hoc ſtatuendum mihi eſt elogium habendum de communi eorum gloria. Omnes Sancti ſunt, quia omnes paſſi ſunt, & gloriam ſuam acceptam referre debent uſui præſtantiſſimo earum perſecutionum, quas pertulerunt. Sat igitur loqui de neceſſitudine gloriæ Sanctorum cum eorumdem paſſione, ac vobis oſtendere

1. Vitæ hujus ærumnas illis ſanctam conferre impatientiam ad Cælum perveniendi.

2. Gaudium quo ſe aliquando ſeparaverunt in eo deliciarum loco perfruituros, animos illis addidiſſe, ut vitæ hujus mala perferrent. *Ex Specimine Panegyricorum.*

IV. *Salutant vos omnes Sancti.* 2. ad Cor. 1. Quamvis Apoſtolus dixerit verba iſta de Sanctis adhuc in terra degentibus, videlicet de Fidelibus, qui per S. Paulum, amicos fratreſque ſuos in Chriſto ſalutabant; non reor tamen me temere, ac importune facturum hac præſertim die memoriæ Sanctorum omnium ſacra, ſi triumphantis illius cœtus nomine vos ſalutavero. Cælum oblivionis locus non eſt, ubi non meminerint ultra amicorum ſuorum beati: *Non eſt Cælum terra oblivionis.* Involucra, & umbræ Religionis prætereunt: ſpei

gemitus ceſſant, ſed victrix ſepulcri temporumque omnium Caritas in beata ſede illa æternum viget; neque dubitandum eſt, quominus inter primos caritatis hujus effectus adnumeretur miſeratio, qua laboribus noſtris afficiuntur. Sunt illi in portu beatæ æternitatis, cum nos adhuc procelloſi hujus pelagi fluctibus jactamus ſexcentos inter ſcopulos, atque pericula. Perfruuntur illi fructu victoriarum ſuarum, donec ipſi cum infeſtiſſimis ſalutis noſtræ inimicis manus conſerimus; illi ad metam pervenerunt, nos adhuc ſumus in via, ideoque in errandi periculo, atque in æternæ perditionis ſubeundæ diſcrimine. Beatos contemplor in ſublimi gloriæ ſolio nitentes, eaque majeſtate coruſcantes, quam Cælum ipſum miratur in apparatu, ac pompa eorum triumphi, nec non ſub pedibus ſuis habentes ea, quæ ipſi obſtupeſcimus. Non ideo tamen credendi ſunt tanto gloriæ ſuæ fulgore perſtringi, ut obliviſcantur eorum, qui eorum indigent ſubſidiis; & quandoquidem nobis ſalutem dicere dignantur, nos quoque viciſſim illos ſalutemus. Sancti enim in Cælo ſalutem noſtram ſua tanti putant intereſse, ut ex ipſius Filii Dei ſententia, lætentur, & præ gaudio exultent, ubi illis nuntium affertur pœnitentiæ, & converſionis peccatoris unius. Non ne æquum eſt, ut peccatores, homines videlicet, qui donec verſabuntur in terris, hoc appellabuntur nomine, ſua pariter intereſse cenſeant, ubi de Sanctorum agitur felicitate? Ideo militans Eccleſia magnum hunc diem tanta celebrat alacritate, ut in partem accedat pompæ illius, quæ in Cælo triumphat, & ut aliquid conferat æternæ horum Beatorum gloriæ cultu ſuo; ſicut illi plurimum conferunt precibus, ſubſidiiſque ſuis æternæ beatitudini noſtræ. Hac mente, & hac de cauſsa Feſtum hoc inſtituit Eccleſia, quemadmodum ipſa teſtatur in orationibus, quas fundit Deo hac in occaſione. Sed ut apertius argumentum meum aſsequamini, oſtendam,

1. Eccleſiam revereri Sanctos eo cultu, qui decet ſtatum ipſorum, tanquam Dei amicos, & filios ſuos, qui jam adierunt poſseſſionem regni ſui; jam victores mundi hujus, & tranquillæ, beatæque immortalitatis poſseſſores.

2. Eamdem illos in neceſſitatibus ſuis invocare; illis nuncupare vota, tanquam interceſsoribus, quos adhibet, ut faciliorem habeat aditum per illos apud Jeſum Chriſtum, & per Jeſum Chriſtum ad Deum. In duobus hiſce officiis totum ſitum eſt argumentum. Rationes invenientur in altero ex prolegomenis, quæ primo Panegyricorum Tomo præfixa ſunt. *Auctor Sermonum in omnia argumenta, &c.*

V. *Sancti eſtote, quia ego Sanctus ſum.* Lev. 1. & Petr. 1. Ita eſt, Fideles; hominem Deus jubet, ſanctum eſse. Sed homo hic quam eloquens eſt in amplificandis difficultatibus, & obicibus in via ſalutis occurrentibus, ut totidem ignaviæ ſuæ prætexat excuſationes! Diſertis verbis tanquam coloribus exhibet infirmitatem ſuam, impedimenta, conſuetudinem, habitum, temperamentum, ipſamque naturam: Sibi terribilem aſtruit imaginem imperatæ Sanctitatis, tanquam difficillimæ, & toto cælo ſupra vires hominis poſitæ. Sed proh hominum imbecillitatem! aſſertas difficultates, futiles excuſationes! Hæc omnia hodierna luce evaneſcunt, ubi intueamur gloriam, & exempla Sanctorum, quæ in hac ſollemnitate ob oculos ſtatuit Eccleſia. Nobis adnitendum eſt, ut noſtræ ſanctificationi demus operam, ad id gloria Sanctorum nos urget. Quidquid eſt in hoc opere difficultatis, ſuperare poſſumus & Sanctitatem adipiſci; hoc nobis perſuadent Sanctorum exempla: quæ duæ ſunt veritates, auditores lectiſſimi, quas vobis enucleandas hodie ſuſpicio.

1. Nihil aptius eſt ad nos ad Sanctitatem ciendos, quam gloria Sanctorum.

2. Nihil aptius eſt ad probandum Sanctitatem adquiri poſſe, quam Sanctorum exemplum. Atque ut hæc omnia ad apertiorem redigantur ſimplicitatem: gloria, quæ Sanctorum merces eſt, validiſſima eſt ratio, quæ nos debeat inflammare ad Sanctitatem adquirendam. Hoc primum punctum eſt. Exemplum Sanctorum validiſſimum eſt argumentum, ex quo colligimus, nos poſſe ſanctificari. Hoc alterum. *Auctor Sermonum in omnia argumenta, &c.*

VI. *Sancti eſtote, quia ego Sanctus ſum.* Levit. 11. Feſtivitas, quam hodie recolimus, non aliud eſt, quam reparatio Fœderis, quod ſacro vinculo jungit Eccleſiam in Cælo triumphantem, cum ea, quæ militatur in terris. Hoc Sanctum eſt amoris, & caritatis commercium inter duas haſce nobiles partes Regni Jeſu Chriſti. Lætitiæ vocibus, plauſibus, & epiciniis proſequi debemus triumphales Beatorum victorias; nos vero viciſſim omne præſidium, atque auxilium ab illis ſperare debemus. Nos illos venerari, & celebrare, opus eſt; neque illi nobis opem, favoremque negabunt, ſi hæc ipſi mereri didicerimus. Cultus acceptior, quem illis adhibere poſſumus, proculdubio eſt virtutum eorumdem imitatio. Hoc pacto.

1. Nos illa teſtabimur amorem, ac æſtimationem Sanctitatis eorum, in vita moribuſque noſtris ipſorum exprimentes imaginem.

2. Et hac ratione illos nobis favere cogemus, eorumque amicitiam comparabimus tanto hoc amoris erga illos noſtri teſtimonio.

VII. *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt Regnum Cælorum.* Matth. 5. Quantumvis brevi oculos conjiciamus in gloriam Sanctorum, & in labores, quos ad eamdem promerendam paſſi ſunt; nihil ultra requiritur ad diſſipandos errores duos, quibus fallimur, & celerius ineundam ſalutis viam; & id ſatis ſuperque erit ad infringendos duos validos obices, qui adverſantur, negligentiam videlicet, atque deſperationem. Tandem enim oculos attollamus in Cælum, & contemplemur gloriam, & bona, quibus Sancti perfruuntur. Adminicula, quibus in terris uſi ſunt ad hoc gloriæ pondus adquirendum, conferamus cum iis, quæ nobis offert quotidie Religio, atque tunc noſtra intelligemus officia. Ad eorum felicitatis aſpectum vellemus id eſſe, quod ſunt: ſed conſolemur, ipſi fuerunt, quod ſumus; & ipſi nihil fecerunt quod ipſi facere nequeamus. Hæ duæ ſunt rationes, quas vobiſcum ad examen revocare conſtitui. Volumus eſſe id quod Sancti ſunt in gloria, nobis igitur facienda ſunt, quæ illi fecerunt in terra. Illi fuerunt, quod ſumus, poſſumus ergo facere, quod fecerunt.

1. Nobis faciendum eſt, quod illi fecerunt: hoc oſtendit, noſtra intereſſe imitari Sanctos in laboribus, laborioſaque vita, quam in terris vixerunt.

2. Facere poſſumus ea, quæ ipſi fecerunt, quod oſtendit in noſtra poſitum eſſe poteſtate Sanctos imitari in actionibus, quæ illos ad hunc gloriæ apicem pertulerunt. Decet nos eſſe Sanctos; licet nobis ſanctos eſſe. Hæc tota eſt Sermonis partitio. *P. Ruæus.*

Filii Sanctorum ſumus, & vitam illam expectamus, quam Deus daturus eſt his, qui fidem ſuam nunquam mutant ab eo. Tob. 2. Catholica Eccleſia in hujus diei celebritate Cælos nobis aperiens, non unum dumtaxat Sanctum, ſed ſimul omnes generatim proponit, ut illi nobis hanc prædicent Sanctitatem, ſine qua S. Paulus ait, nos nunquam viſuros eſſe Deum: *ſequimini ſanctimoniam, ſine qua nemo videbit Deum.* (*ad Hebr.* 12.) Hac de cauſſa duplicem nobis Eccleſia objicit horum Sanctorum imaginem; In quarum altera oſtendit, quid illi fuerint in terra, in altera vero, quid in præſentiarum in Cælo ſint. Prior exhibet nobis præliorum generoſitatem, fidelitatem, ac firmitatem cordium, quas illi prætetulerunt; poſterior autem gloriam triumphorum, magnitudinem & felicitatem præmiorum, quæ illi conſecuti ſunt. Poſt hæc vocem attollit Eccleſia, & ſermonem convertens ad Chriſtianos omnes, qui, ut S. Petrus ait, ſanctum hunc populum conſtituunt, *gens ſancta*, dicit illis, *Filii Sanctorum ſumus.* Vos eſtis horum Sanctorum filii, qui adeo fideliter decertarunt, geritis in vobis horum Martyrum ſanguinem, ex quo hauſiſtis originem; Vos eſtis illuſtris horum Sanctorum progenies, quos Deus in Cælo coronavit. Dico autem vobis Sanctos per Eccleſiam propoſitos, & hoc modo accuratius inſpectos effecturos tres validas impreſſiones in animis, cordibuſque noſtris, niſi ipſi iiſdem obicem ſtatuerimus. VIII.

1. Quatenus Concionatores, nobis perſuadebunt, nos Sanctos eſſe debere.

2. Quatenus teſtes arguent, nos Sanctos eſſe poſſe.

3. Quatenus Cenſores, & Judices damnabunt nos, quia longe abſumus a ſanctitate, quamquam Sancti eſſe & deberemus, & poſſemus. *Texier.*

Nimis honorificati ſunt amici tui Deus: nimis confortatus eſt principatus eorum. Pſ. 138. Hodierna ſollemnitas nobis immittere debet ſublimem Sanctorum venerationem, ubi oſtendere poſſumus, IX.

1. Honorem, quem illis contulit Deus, eos ab æterno prædeſtinando ad gloriæ coronam, illis eſſe ſimul coronam miſericordiæ, atque juſtitiæ. Juſtitiæ quidem, quippe Deus illam confert ſolum merentibus; miſericordiæ vero; quia ex mera ſua bonitate largitur illis media ad illam promerendam neceſſaria. Vult Deus illos hanc mereri, & hoc pacto oſtendit magnum, quem illis confert honorem, præbens occaſionem ſibi virtute ſua immortalem comparandi gloriam quæ toto Cælo ſummorum Regum ſuperat gloriam. Tribuit illis etiam facultatem promerendi eam, ſine qua ad illam pervenire minime poſſent; & hoc pacto teſtatur illis amoris ſui magnitudinem. Infinitam illius bonitatem admiremur; diligamus, & colamus eos, quos ille amat, & colit.

2. Oſtendi poteſt honor, quo Deus dignatus eſt Sanctos exequens admirabile illud conſilium quod in eorum gratiam ab æterno conceperat; nam eduxit illos ex nihilo, & ſæpe etiam illorum nativitatem illuſtravit ſupernaturalibus ſignis, atque portentis. Illos ad fidem evocavit, eoſque naſci voluit in Eccleſia, ut ibi tanquam filii, & heredes Regni ſui educarentur. Prævenit illos benedictionibus ſuis, atque inſignibus beneficiis decoravit; Præſervavit eos a plurimis tentationibus, & periculis, & admirabilibus gratiæ ſuæ ſtimulis illos ad pœnitentiam perduxit. Eos patienter præſtolatus eſt, eis in locis eos collocavit, eaſque illis occaſiones præbuit, in quibus facile virtutes heroicas exequerentur. Denique erga illos adeo amabilis providentiæ curam geſſit, ut eos adduxerit ad thronum, quem illis ante ſæcula præparaverat.

3. Oſtendi poteſt honor, quo Deus excipit Sanctos in Cælis, & ſedes, quas illis in ſuo Regno diſtribuit. Quot ſunt in Cælo Sancti, tot ibi coruſcant imagines nitentes diverſarum virtutum Dei, & Sancti omnes participes ſunt ejuſdem beatitudinis, & gloriæ, quam ille poſſidet. Hinc facile patet judicium cum de honore, in quo apud Deum ſunt, tum de obſervantia & cultu, quem illis debemus. *Ex Medit. P. Novet.*

Filii Sanctorum ſumus. Tob. 7. Sicuti Sanctos duplici in ſtatu poſſumus intueri, & in præteritis eorum laboribus, & in præſenti eorum gloria; ita Eccleſia duplicem eorum tabulam nobis ſpectandam proponit. Hinc nobis oſtendit quid fuerint in terra, inde vero quid modo in Cælo ſint; ut intelligamus eorum fortitudinem, atque conſtantiam, cum qua decertarunt, æque ac gloriam, cum qua triumpharunt; ut ex aſpectu certaminum ſanctitatis noſtræ argumenta eliciamus, & ex triumphi meditatione ſpem gloriæ noſtræ capiamus: *Filii Sanctorum ſumus.* Vos eſtis filii Sanctorum, qui pro Deo præliati ſunt, filii Sanctorum, qui gloriam aſſecuti ſunt. Ex duabus his tabulis ad eruditionem noſtram hauriamus duplicem conſiderationem, quæ nihilominus ad finem eumdem referuntur. X.

1. Altera quidem nos excitabit ad imitationem magnorum exemplorum virtutis, ut aliquid publicæ ipſorum gloriæ conferamus.

2. Altera gignet in nobis ſpem perveniendi ad gloriam, quam illi poſſident, ſi nobis adfuerit animus ſuſtinendi qualitatem Filiorum Dei, quam gerimus. Virtutum ipſorum imitatio, & ſpes aliquando accedendi in partem gloriæ ipſorum duo erunt Sermonis hujus partes. *Biroat.*

XI. Oſtendere poſsumus Sanctorum exemplum tres animis noſtris diverſas impreſſiones efficere, quæ omnes ad illorum imitationem invitent; Nos arguunt, ſollicitant, rubore ſuffundunt.

1. Palam arguunt, nos & Sanctos eſse poſse, & Sanctos eſse debere.

2. Valide nos ad exemplorum imitationem ſollicitant.

3. Nos pudore ſuffundunt, niſi illos ſequamur, & metum pudoris hujus injicientes, nobis perſuadent, ut illos imitemur, & ſequamur. *Biroat.*

XII. *Sancti eſtote, quia ego Sanctus ſum.* Levit. 11. Quamvis Ethnici virtute præditos eſse concupierint, tamen S. Auguſtino teſte, tria illis defuere ut virtutem perficerent; auxilium, exemplum, & merces. Auxilium quidem, quia cum deeſset illis & Jeſu Chriſti gratia, & lumen Evangelii, nullam poterant opem invenire, quam obſcura lumina rationis. Exemplum autem, quia qui inter illos ſapientiam profitebantur, eamque ſe aliis tradere jactitabant, homines erant, qui ut plurimum vitiis ſcatebant, & ſexcentis flagitiis ſe ſe ingurgitabant. Merces denique, quia horum Antiquitatis Sapientium eruditiſſimi conſtituerunt illam in Mundi gloria, & hominum exiſtimatione; vel ad ſummum in ipſa virtute. Vera virtus Chriſti fidelibus erat reſervata, quia Deus ipſe eſt principium virtutis eorum per gratiam; prototypus virtutis illorum per opera; & merces virtutis ipſorum per gloriam. Verum enim vero cum Fidelibus arduum eſset virtutem ſequi, niſi proponerentur ipſis exempla, quæ facilius imitarentur, dignatus eſt in ſanctis ea proponere, quæ ſequi poſſumus. Stat ergo mihi hodierna die excitare in vobis

1. Grati animi ſenſum per gratias, quibus hodie vos cumulat Deus.

2. Fervorem, per exempla, quæ vobis proponit.

3. Conſtantiam per retributiones, quas vobis pollicetur. Hoc totum eſt Sermonis hujus argumentum. *Flechier.*

XII. *Gaudete & exultate; ecce enim merces veſtra copioſa eſt in Cælo.* Matth. 5. Ut æquum vobis aſtruam conceptum magnificentiæ ſollemnitatis hujus, quam Eccleſia Sanctorum omnium conſecrat gloriæ, per vos mihi liceat immorari in textus allati verbis, quorum litteralis expoſitio vobis meum aperiet argumentum. Ordinem, ac partitionem excipite: *Ecce merces veſtra copioſa eſt in Cælo.* Merces, quam præparat Deus electis ſuis, certa merces eſt: *Ecce.* Deus illam vobis pollicetur, & ſi eam bona fide concupiſcitis, jam eſt veſtra: *Ecce merces veſtra.* Merces hæc larga erit, ac uberrima, quæ non aliam habebit menſuram, quam Dei magnificentiam, & quæ veſtris deſideriis cumulum adjiciet: *Ecce merces veſtra copioſa.* Denique æterna merces eſt, quam nunquam amittetis; quippe vobis in Cælo reſervata eſt, ubi nulla erit amplius immutatio, & jactura; *Ecce merces veſtra copioſa eſt in Cælis.* Qualitates profecto, quæ in animis, cordibuſque veſtris validas impreſſiones gignere poſſunt; præſertim vero ſi judicium de illis ferendum ſit ex earum cum mundi remunerationibus oppoſitione; videlicet ex triplici diſcrimine, quod animadvertite, quæſo, inter Mundi, & Dei remunerationes.

1. Remuneratio Electorum Dei, certum eſt munus; Mundi vero incertum, atque ambiguum.

2. Remuneratio Electorum Dei copioſa eſt; Mundi vero vacua, atque deficiens.

3. Remuneratio Electorum Dei eſt æterna; Mundi vero caduca, & peritura. *P. Bourdaloue.*

XIV. *Mirabilis Deus in Sanctis ſuis.* Mirabilis in ſe ipſo Deus eſt; ſed S. Ambroſius animadvertit, non eodem modo admirabilem eſſe habita noſtri ratione, & ratio patet; nam ut illum ipſi admiremur, eum agnoſcamus oportet; ſed hac in vita Deum in ſe ipſo cognoſcere non poſſumus, ſed in rebus creatis dumtaxat; igitur illum in creatis tantum, non autem in ſe ipſo cognoſcere poſſumus. Quæ ſi vera ſunt jure in ipſo mei Sermonis exordio arguere licet in Sanctis debere nos admirari Dei magnitudinem, quandoquidem poſt Deum nihil majus eſt, quam Sancti, & quia Sancti, qui ſunt perfectiſſima Dei opera, potiſſimam obtinent vim, ad abſconditam Dei magnitudinem oſtendendam. Profecto Deus licet minime pendeat a Sanctis, non ceſſat tamen, quominus, ut ita dicam, inde gloriæ tributum referat, quod illis acceptum referre debet, quoniam in illis admirabilis eſt; [*Mirabilis Deus in Sanctis ſuis.*] Mirabilis eſt in eorum vocatione, mirabilius in prædeſtinatione, mirabilis in eorum pulcritudine, & gloria. Licet id unum verum eſſet, quid admirabilius fingi poſſet, quam deduxiſse per paupertatem Sanctos ſuos ad æternum gloriæ regnum, quam effeciſſe, ut illi lætitiam inter gemitus, beatam tranquillitatem inter perſecutiones ac inter miſerias beatitudinem invenirent? Verum quin his omnibus immorer, Sancti Leonis Magni ſententiam ſequor, quam animadvertite quæſo, quandoquidem omnia complectitur, quæ in hoc argumento dicere poſsum, alioquin aptiſſimo ad ciendam in nobiſmetipſis devotionem erga Sanctos. Sanctus Pontifex textus mei verba, quatenus ſpectant ad præſtantiſſimum hunc gloriæ ſtatum, ad quem Beati evecti ſunt, ait, duo in illis eſse obſervanda tanquam præcipua duo noſtrarum admirationum objecta.

1. Quod Deus in illis potentes nobis patronos conſtituit.

2. Quod Deus in illis nobis præclara ſanctitatis exempla propoſuit. *Mirabilis Deus in Sanctis ſuis, in quibus præſidium nobis conſtituit, & exemplum.* In priori parte Sermonis mei, videbitis, quo jure Deum admirari debeamus, quod ille eos nobis dederit interceſsores, atque patronos. In altera vero intuebimini, quam admirabilis ſit, eo quod eoſdem nobis imitandos propoſuerit. Ex altera quidem intelligetis, quid pro nobis Sancti operentur, ex altera vero, quid nobis agendum ſit pro illis. *Maſcaron.*

Nimis honorificati ſunt amici tui, Deus. Pſ. 138. Ut paucis complectar, quidquid dici poteſt de Sanctorum cultu a nobis adhibendo, dicere poſsum hunc tribus præſertim in rebus conſiſtere. XV.

1. In laudibus eorum celebrandis, 2. in actionibus imitandis, 3. in illis invocandis, ad opem illorum in neceſſitatibus promerendam.

Hi tres modi ſunt, quibus illos colere poſsumus, & quodammodo illis rependere beneficia, quæ ab ipſis in hac vita recipimus; & licet videatur, poſtremum Sermonis punctum, invocatio videlicet nos recentibus officiis devincire, quam præteritis ſatisfacere; tamen Beati proculdubio lætantur, cum recentes illis cauſsas ſuppeditamus nobis benefaciendi, eorum implorantes auxilia & ad ipſorum aras confugientes, quoniam ſimul fatemur, illos fuiſse promeritos hunc titulum præclaris operibus ſuis, martyriis, laboribus, atque mortificationibus. *Ogier.*

Hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra. 1. Theſs. 4. Cum nunquam deliberetur de poſtremo fine, ad quem homines tendunt univerſi neceſsario quodam naturæ motu; ex vobis non quæram, utrum fieri velitis Sancti, utrum in æternum velitis eſse beati; dicam vero maximum deliberationum veſtrarum argumentum eſse debere, deligere aptiſſima ad veſtram Sanctificationem adminicula, quibus addam, nihil eſse, ubi plures ſomnientur difficultates, & ubi plures obices fingantur. Queruntur alii, quod ſimul cogitationes, curaſque ſuas Deo, & rei ſuæ impendere minime valeant; alii munia ſua ſimul ſtare non poſse cum pietate, & virtute; alii vero tandem, negotia ſua omnem attentionem exquirere, & curas omnes exhaurire. Illud autem maxime metuendum eſt, quod improbitas hominum conditiones omnes periculoſas effecit, & vitium, morumque corruptio ubilibet ſcopulos conjecit; Hodierna tamen die vobis oſtendere fert animus, hæc omnia non aliud eſse, quam inanem cauſsam, quam plerique prætexunt vitiis ſuis, rejicientes in ſtatum, munuſque ſuum eas difficultates, quæ ex prima mentis, & cordis ſui affectione procedunt. Stat igitur omnes has excuſationes explodere, oſtendendo XVI.

1. Nullam eſse conditionem mortalium, quæ nequeat ſanctificari.

2. Nunquam melius ſatisfieri muneribus ſtatus ſui, & conditionis, quam cum noſmet ſanctificare ſtudemus. Hæ duæ veritates argumentum, & partitionem totius Sermonis efficient.

Prima pars probatur, 1. Quia in omnibus ſtatibus adſunt peculiares gratiæ, & ſubſidia ad noſmet ſanctificandos. 2. Quia quælibet conditio habet ſua privilegia propria, & particularia, quibus quilibet ſalutem ſuam operetur. 3. In eo, quod præterquam ſingulæ conditiones propria habent, & particularia adjumenta, dicere poſsumus, eam, ad quam a Deo vocati ſumus per divinam providentiam, tutiſſimam eſſe, atque ſanctificationi noſtræ maxime propriam.

Pars altera probatur; 1. Quia nunquam melius ſatisfit officiis, & muneribus propriæ conditionis, quam cum conatur homo ſemet ſanctificare, quod facile videre eſt, cum longe plurimi in eodem ſtatu ſemet ſanctificaverint. 2. Quia conditio quælibet, iis, qui vocantur, ſuppeditat media ſe ſe ſanctificandi, bene utendo ſubſidiis illis inhærentibus, & gratias, quas nobis communicat Deus utiliter adhibendo. 3. Quia ſingulorum ſanctitas ſita eſt in adquirenda ſtatus ſui perfectione; quod quidem aptiſſimum eſt adminiculum ad ſe ſe ſanctificandos, & quod obligat univerſos, & ſingulos pro modulo ſuo. *Auctor Sermonum in omnia argumenta: in Quadrageſima.*

Quantumvis parum animum adjiciamus ad exempla, quæ ſancti viri in vita ſua nobis reliquerunt, nihil eſt quod nos exſtimulare non debeat, ac urgere, ut eorum veſtigia ſequamur, ſi cupimus coronarum eorumdem fieri participes. Hac de cauſsa in generoſis id genus Athletis tria nobis diligenter ſunt conſideranda. XVII.

1. Strenue pugnarunt contra viſibiles, & inviſibiles adverſarios, qui ſanctitati eorum impedimentum ſtatuere conabantur.

2. Felici eventu omnes obices ſuperarunt, & conciliarunt poteſtates huic eventui oppoſitas.

3. Demetunt modo palmas ſuæ debitas generoſitati, & in immortalitatis ſede glorioſe triumphant. *Recens Auctor.*

XVIII. Pro argumento Sermonis de Sanctis generatim aſſumi poteſt, quod particulariter de Sancto quodam S. Bernardus ait; quod videlicet.

1. Admirari debemus eorum virtutem, fidelitatem, prælia, coronas.

2. Rubore ſuffundi propter ignaviam in ſuperandis, eorum exemplo, impedimentis, quæ ſanctificationi noſtræ obluctantur.

3. Imitari præcellentia virtutis exempla, quæ nobis reliquerunt, ſtrenue infringentes obices omnes, qui noſtræ adverſantur ſanctificationi. *Recens auctor.*

XIX. *Mirabilis Deus in Sanctis ſuis.* Pſ. 23. Deus admirabilis eſt in regimine Sanctorum, ut illos ad altiſſimum gloriæ faſtigium attollat in Cælo. Quod conſiderari poteſt in tribus punctis.

1. In eo, quod elegit illos nulla habita ratione meritorum, & nihilominus illos non glorificat quin & ipſi pro viribus cooperentur, & præmium mereantur.

2. In eo, quod per efficacem gratiam certe illos vocat ad gloriam, ita tamen; ut minime expertes ſint metu eamdem amittendi. *Ex Quadrageſima P. Reine Itali Concionatoris.*

XX. *Sancti eſtote, quia ego Sanctus ſum.* Levit. 1. Si ſanctitas unica via eſt, tuta, & infallibilis, ut perveniamus ad Beatorum ſedem, & gloria Sanctorum perfruamur: bona fide confitendum eſt, illam aſperam eſſe, ac difficilem quam ſequamur; & inutile eſſe noſmet excitare ad illam ſequendam, niſi doceremur, quæ via inſtituenda eſt, quinam ſcopuli evitandi, & obices ſuperandi, ut tandem aliquando ad terminum adeo beatum perveniamus. Ad id autem animadvertendum eſt

1. Sicut via hæc arcta eſt, difficilis, & parum frequens, qualem nobis Salvator ipſe eam repræſentat, opus fuiſſe ut nobis ſterneretur, ut oſtenderetur, qua nobis ambulandum ſit a præeuntibus.

2. Sicuti via hæc ſcopulos habet, ac inſidias, quæ nobis ubique nectuntur; nobis opus eſſe certe ducibus, a quibus illas evitare doceamur.

3. Tandem ſicuti non deſunt terribiles adverſarii, qui conſiliis noſtris obſiſtunt, & in ſingulos ferme gradus nos morantur; nobis opus eſſe peritis ducibus, a quibus artem præliandi accipiamus; alioquin enim quonam pacto incedere poſſumus in via hac, quæ adducit in Cælum? Nunquam ſane perveniemus ad gloriam, cujus poſſeſſionem Sancti adierant. Oſtendendum eſt, in his omnibus facile nos adduci Sanctorum exemplo; ideoque ab illis oſtendi nobis, nos quoque poſſe eamdem gloriam adquirere, quam ipſi meriti ſunt. *Auctor Sermonum in omnia argumenta, tomo tertio Panegyricorum.*

PARAGRAPHUS II.

Fontes ex quibus hauriri poteſt copia ad argumenta hæc pertractanda, & Auctores, de illis tractantes.

Sancti Patres. SAnctus Auguſtinus Sermonem edidit in Feſtum diem Sanctorum Omnium, ubi Fideles omnes invitat, ut participes ſint gaudii Eccleſiæ videntis labores, & merita filiorum ſuorum in Cælo coronatorum. *Tom.* 10. *ſerm.* 37.

Idem Sermone 14. ex iis, quos Pariſienſes Carthuſiani in lucem ediderunt. Hæc Homilia eſt in verba illa, *Beati pauperes ſpiritu*; ubi hortatur eos, qui ad Sanctorum gloriam aſpirant, vias ſequi, quæ ad finem adducunt.

Idem in expoſitione Pſ. 32. loquitur de beatitudinis deſiderio, quod omnibus ingenitum eſt. S. Hieronymus in Epiſtola 22. ad Euſtochium, & in prima ad Demetriadem hortatur illas, ut ſæpe cogitent de Sanctorum gloria, eoſque imitari contendant.

Idem loquitur etiam de hoc deſiderio in expoſitione Pſ. 41. hæc explicans verba: *Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum.*

S. Gregorius in quartum Pœnitentiæ Pſalmum, oſtendit gloriam, quæ Sanctorum felicitatem conſtituit, ſimul eſſe præmium laborum ſuorum, & divinæ miſericordiæ effectum.

Idem in expoſitione Pſ. 3. Pœnitentialis oſtendit quomodo ad Sanctorum felicitatem aſpirare debemus.

Idem in Sermone primo Omnium Sanctorum varias proponit hujus argumenti quæſtiones, quas reſolvit.

Idem in ſermone ſecundo in eamdem celebritatem pro themate hæc deſumit verba: Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur. In tertio explicat ſeptem beatitudinis gradus in cælo, pro ſeptem Evangelicis Beatitudinibus. In quarto vero præter propter idem agit argumentum.

S. Gregorius Nyſſenus in oratione prima de beatitudinibus oſtendit, quomodo beatitudo decet homines, & duo bonorum genera, quæ poſſident.

Idem in ſeptem Sermonibus, quæ ſequuntur, loquitur de felicitate, quæ ſingulis beatitudinibus promiſſæ ſunt ſingillatim.

S. Baſilius *Homil. 9. de Gordio Martyre* oſtendit, Sanctorum exempla validum eſſe præſidium ad virtutem exercendam; eoſque eſſe imitandos.

Idem Epiſtola ad S. Gregorium Theologum, oſtendit Sanctorum vitas ſcriptis mandatas imagines eſſe viventes, & animatas vitæ a nobis ducendæ.

Origenes *Homil. 5. in num. c.* 1. oſtendit varios eſſe gradus Sanctitatis; Sanctos eſſe alios aliis Sanctiores, & plurium meritorum in hac vita, ſicuti in alia magis vel minus in gloria ſunt elati.

Beda Venerabilis duas habet homilias in Feſtum Sanctorum Omnium. In prima eximias habet adnotationes in Evangelii Beatitudines, & hortatur juſtos ad patientiam habendam in tribulationibus, ut Sanctorum præmia conſequantur. In altera vero refert hujus Feſtivitatis inſtitutionem, & quam ob cauſſam fuerit inventa.

B. Petrus Damiani in Sermone de hac ſollemnitate narrat ea bona, quibus Sancti fruuntur in Cælo, ac latius oſtendit, quid nobis faciendum, ut aliquando ſimilibus bonis & nos perfruamur.

S. Bernardus quinque Sermones edidit in Evangelium hujus diei, & diſertis explicat commentariis omnes Beatitudines, quæ ibi continentur. In altero verba facit de utilitate, quam ex hujus diei felicitate percipimus. In tertio refert tres diverſos animarum Sanctarum ſtatus; videlicet cum inſitæ ſunt corporibus corruptibilibus, cum a corporibus ſejunctæ ſunt, & cum plena beatitudine gaudent. In quarto explicat illud S. Joannis verbum qui in Apocalypſi ait, ſe audiviſſe vocem animarum ſanctarum. In quinto demum oſtendit feſtivitatem hanc æque reſpicere Sanctos, qui ſunt in Cælo, & eos, qui vivunt in terra.

S. Ephrem duos habet Sermones de Sanctis in primo operum ſuorum tomo.

S. Bernardinus Senenſis Sermonem habet de hujus diei feſti ſollemnitate.

S. Bonaventura duos. In quorum altero oſtendit quibus gradibus perveniatur in Cælum, & quarum virtutum praxim pro ſtatus varietate fuerint ſecuti.

Dionyſius Carthuſianus tres habet Sermones de eadem Sanctorum omnium ſollemnitate.

Albertus Magnus in Evangelica verba illa; *Beati pauperes ſpiritu &c.* conſiderat ſeptem priores beatitudines, tanquam cauſſas gloriæ, & felicitatis Sanctorum Ordinum omnium.

Idem in altero Sermone conſiderat multitudinem Sanctorum in eo apparatu, in quo repræſentantur in Apocalypſi palmas manibus tenentes, quarum rationem reddit.

Gerſon habet Sermones quinque in hac ſollemnitate, in quibus colligere videtur quidquid Sancti Patres dixerunt de hoc argumento.

Guillelmus Pariſienſis Sermonem habet in feſtum hunc diem.

Hugo a Sancto Victore quatuor edidit Sermones, in quibus quatuor diverſos textus aſſumpſit.

Papa Innocentius III. duos edidit Sermones, in quorum altero oſtendit duas eſſe beatitudines, alteram propriam viæ, quæ eſt hæc vita; alteram propriam termini, ad quem contendimus, quæ altera vita eſt.

S. Laurentius Juſtiniani in Sermone quodam oſtendit, quam utilia ſint Sanctorum ſuffragia.

S. Leo habet homiliam in hujus diei Evangelium, ubi docet, quibus gradibus evehi poſſumus ad gloriam Sanctorum.

S. Thomas Aquinas tom. 16. Sermonem habet in Sanctorum omnium ſollemnitatem.

Thaulerus duos habet Sermones, ubi oſtendit Sanctos non melius coli, quam illos imitando.

Concionatores. *Præter eos, qui tractarunt de felicitate, qua in Cælo Sancti gaudent, & de quibus locuti ſumus titulo de Beatitudine; en illos, qui pertractarunt propius argumenta a nobis expoſita in Paragrapho primo.*

Flechier in tomo primo Panegyricorum.

Idem in præfatione eorumdem plura habet ad hoc argumentum pertinentia.

P. Bourdaloue duos habet Sermones de Sanctis Omnibus. Alterum de eorum in Cælis corona, alterum de exemplo, quod nobis reliquerunt, & quod nos ſequi opus eſt.

Molinier in Sermone pro feria quinta poſt primam Quadrageſimæ Dominicam.

Auctor Bibliothecæ Concionatorum in prolegomenis primi Tomi Panegyricorum, fuſius tractat de cultu, & invocatione Sanctorum.

P. Texier tomo ſecundo, in Panegyrico de Sanctis Omnibus oſtendit Sanctitatem eſſe fontem omnium elogiorum, quæ de illis fiunt.

Biroat duos habet in hanc celebritatem Sermones.

Ogier in tomo 2. publicarum ejus actionum.

Verjus, unum habet Panegyricum in feſtum diem Sanctorum Omnium.

P. Daneau quatuor habet Sermones hujus argumenti.

In Specimine Panegyricorum tria ſunt compendia Sermonum in Feſtum hunc.

Auctor Sermonum in omnia argumenta &c. tomo tertio Panegyricorum.

Granatenſis in Sermonibus pro feſtivitate hujus diei.

P. Mathias Faber.

Auctores alii, qui locuti ſunt de Sanctorum exemplis, & imitatione. Auctor Scientiæ prædicandi.

P. Novet in ampla Meditatione huius feſtivitatis.

Pauci ſunt Concionatores, & vitæ Sanctorum Scriptores, qui argumentum hoc prætermiſerint.

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, Figuræ, & applicationes Scripturarum huic argumento.

Loci.

D*Eduxit eos in viam rectam, ut irent in civitatem habitationis.* Pſ. 106.

Omnes Sancti in manu Dei ſunt. Deut. 33.

Mirabilis Deus in Sanctis ſuis. Pſ. 67.

Gloria hæc eſt omnibus Sanctis ejus. Pſ. 149.

Nimis honorati ſunt amici tui, Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum. Pſ. 138.

Beati, qui habitant in domo tua, Domine, Pſ. 83.

Domine, dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. Pſ. 25.

Laudate Dominum in Sanctis ejus. Pſ. 150.

Conſtitues eos principes ſuper omnem terram. Pſ. 44.

Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requieſcet in monte ſancto tuo? Pſ. 14.

Qui ingreditur ſine macula, & operatur juſtitiam &c. Ibid.

Fulgebunt juſti, judicabunt nationes, & dominabuntur populis & regnabit Dominus illorum in perpetuum. Sapient. 3.

Etſi coram hominibus tormenta paſſi ſunt, ſpes illorum immortalitate plena eſt. Ibid.

Beatus vir, qui ſuffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ. Epiſt. Jacobi 1.

Domum tuam decet ſanctitudo, Domine. Pſ. 92.

Hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra. 1. Theſſalonicenſ. 4.

Deus omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. 1. Ad Timoth. 2.

Dii eſtis, & filii Excelſi omnes. Pſ. 81.

Filii Sanctorum ſumus. Tob. 2.

Spectaculum facti ſumus mundo, Angelis, & hominibus. 1. ad Cor. 4.

Repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi juſtus Judex. 2. ad Timoth. 2.

Satagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis. 2. Petri 1.

Me expectant juſti. Pſ. 141.

Sancti eſtote, quia ego Sanctus ſum. Levit. 11. & 2. Petri 1.

Regnum Cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Matth. 11.

In regno Patris mei manſiones multæ ſunt. Jo. 14.

Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. Act. 14.

Tranſierunt dolores, & in fine oſtenſus eſt illis theſaurus immortalitatis. 4. Eſdr. cap. 8.

Qui vicerit, dabo illi ſedere mecum in throno meo. Apocal. 3.

Non ſunt condignæ paſſiones ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Ad Rom. 8.

Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ſtantes ante Thronum. Apocal. 7.

Nemo coronabitur, niſi qui legitime certaverit. Ibid.

Exempla, & Figuræ Biblicæ hujus argumenti.

Eliæ Prophetæ exemplum oſtendit nos quoque pervenire poſſe ad apicem ſanctitatis. NE inſimulemus naturæ noſtræ imbecillitatem, quippe quæ nos in abſolutam adducat impotentiam perveniendi ad gloriam ſanctorum; ignaviam potius noſtram incuſemus, quoniam ſancti quorum diem feſtum recolimus, ejuſdem erant naturæ, cujus nos ſumus. S. Bernardus animadvertit, ſacrum textum de Elia loquentem, dicere, illum hominem paſſibilem fuiſſe, & ceteris hominibus ſimilem: *Elias homo erat ſimilis nobis paſſibilis.* Ne fortaſſe nitor ſanctitatis ejus, fulgor miraculorum, & ardens curſus, quo ſublatus fuerat in cælum, hanc mentem mortalibus injicerent, ut crederent, illum alterius fuiſſe naturæ, ac nos; ita ut illum ſequi minime poſſemus. Ne igitur heroicæ Sanctorum virtutes terreant animos noſtros; illi ex eodem limo erant concreti, & ex eadem terra coagmentati. Reliquiæ eorum in templis quieſcentes oſtendunt eos mortales fuiſſe, & nihilominus per gratiam Dei, ſe ſe ſupra naturam ſuam extuliſſe. Si ipſi ſanctitatem adepti ſunt licet homines eſſent, quam poſſumus afferre excuſationem, ut noſmet ab eorum imitatione diſpenſemus? Numquid ſcelerum noſtrorum immane pondus animum noſtrum dejiciet? Verum quidem eſt, hoc eſſe pondus elevationi noſtræ contrarium: ſed ex vitis Sanctorum intelligo illos nonnunquam in nefas lapſos fuiſſe; & peccata, quæ ſanctitatem deturparant, deinceps tranſiiſſe in triumphorum materiam.

Hoc ipſum probatur exemplo plurium Sanctorum qui plures annos in vitiorum ſordibus volutati ſunt. S. Auguſtinus animadvertit eos, qui glorioſiores in cælo collucent, antea dum viverent in graviſſima ſcelera corruiſſe. Hoc permiſit Deus, & ita opus fuit, ne exiſtimarentur ab omni noxa alieni, ac inde occaſionem nanciſceremur credendi eos alterius fuiſſe naturæ, ac ſpeciei, & a noſtris immunes cupiditatibus. *Ne nobis impeccabilitas*, Sanctus hic Doctor ait, *daret occaſionem exiſtimandi, ſeparatos eſſe a natura fallibili.* Sed ubi videmus illos etiam ſontes fuiſſe: uti nos; & cum virtutes eorum celebramus, loquimur etiam de lapſibus eorum, & nihilominus in Sanctos evaſiſſe; nonne palam inferre licet, ſi ſumus ejuſdem naturæ, poſſe nos etiam ad gloriam eamdem pervenire?

Ex Abrahæ aliorumque Patriarcharum exemplo videmus, velle Deū ſanctos coli. Tantū abeſt, ut vetet. Tantum abeſt, prohibuiſſe Deum ne ſanctos coleremus, ut nihil prætermiſiſſe videatur ut homines ad eorum cultum, & obſervantiam induceret, ſeu cum eorum nobis certamina ſuper terram exhibentur, ſeu cum illos in cælo coronatos inſpicimus. Quibus laudibus proſecutus eſt ille Abraham, & alios quoſdam Patriarchas? Nonne ipſe illorum virtutem protulit in lucem, cum calumniis proſcindebatur, vel cum in ſolitudinibus deliteſcebat? Quam graves pœnas expetiit ex injuriis, & contumeliis, quibus illi affecti fuerunt? Quibus benedictionibus etiam terrenis illos cumulavit, qui eos cum honore exceperunt, ac reverentia? S. Paulus nonne verba facit de illis, tanquam perſonis, quas poſſidere mundus non merebatur? *Quibus dignus non erat mundus.* (*Hebr.* 11.) Principes, ut Reges terræ nonne commendati fuerunt, & infinitis cæli beneficiis affecti, eo quod eorum adhæſere conſiliis? Et quaſi ſatis non eſſet illis propter ipſorum virtutes honorem, atque obſervantiam conciliare, voluit etiam illos inſignire conferens eis poteſtatem ſignorum, & miraculorum; quod fecit in Moyſe, quem quodammodo Deum Pharaonis conſtituit. Liquet quo in honore haberi voluerit Danielem ab ipſis terræ hujus principibus, tribuens huic prophetæ, æque ac S. Patriarchæ Joſeph futurarum rerum cognitionem. Quid miſſum fecit ut illuſtrem glorioſumque redderet incomparabilem virum Joſue? Nonne illum deduxit, & omnipotentiæ ſuæ brachio ſuſtinuit? Nonne in illius gratiam fluminum curſum inhibuit, ut populus ejus ſiccis pedibus traduceret? Nonne fortiſſimarum urbium muros proſtravit? Et invictus ille gentium domitor nonne ea, qua apud Deum pollebat auctoritate, ſuam poteſtatem extendit in ſolem ipſum, illius curſum retardans? Quiſnam mortalium hoc glorioſior fuit, & honoratior?

Deus ipſe ſanctos honore affecit ſuam illis poteſtatem communicans. Deus ſemper tot gratiis cumulavit Sanctos, ut ab hominibus in pretio, & honore haberentur; & id quod ille poſſidet per naturam, Sancti obtinent ab eo titulo favoris, ac remunerationis. Quæcumque ſunt in orbe univerſo, illis admirationis, ac reverentiæ tributum perſolvunt. Dæmones ipſi eos timent, tanquam victores, licet invidia rumpantur. Peccatores illorum virtutem admirantur, ejuſque fulgorem ſuſpiciunt, quamvis ejuſdem praxim oderint. Reges illos venerantur tamquam Dominos, & qui mortalibus omnibus ſe ſuperiores putant, gloriæ ſibi vertunt ad eorum tumulos flexis genibus vota nuncupare. Populi eorum dies feſtos celebrant, Angeli quoque in cælo eorum natalium diem recolunt; Deus quoque radiis lucis immortalis eos redimit, & ſi gloria ſæculi opus eſt dæmonis, ut S. Hilarius docet, gloria Sanctorum procul dubio divinæ potentiæ præclarum eſt opus.

Sancti ſemet ſanctificaverunt in omnibus ſtatibus; quod probat facilitatem ſeſe ſanctificãdi in qualibet conditione. Vobis probandum ſuſcipio, S. Chryſoſtomus inquit, per inductionem ex Bibliis deſumptam nullum eſſe ſtatum, vel licitam conditionem, in qua ſancti eſſe non poſſimus cum ea gratia, quam divina Providentia nobis præparavit, ac largita eſt ad ſanctitatem in omnibus ſtatibus adquirendam, quibus ſemper præeſt. Uxorem duxiſtis, dicitis, Moyſes quoque duxit: & quis obſtabit ne ſingulis diebus voſmet recipiatis cum Deo de ſalute, & ſanctificatione veſtra acturi? Vobis frequens eſt filiorum numerus: Machabæorum mater ſeptem habebat filios, & nihilominus ſancta fuit, & ubi oportuit, Dei amorem ſanguinis ſui caritati prætulit. Nobilis es & in mundo te niteſcere opus eſt; David, Jozias, Ezechias & ipſi nobiles erant æque ac vos, quandoquidem regiæ ſobolis erant: tamen Regni adminiſtratio minime obfuit, ne ſeſe ſanctificarent; in celſitudine humilitatem ſervarunt, & in Aula vixerunt, quin vitiorum aulæ inficerentur. Judex es; hoc erat Samuelis Officium; exemplum hoc imitare, & in munere tuo obeundo irreprehenſibilem te præbebis; & eris tibi ſtimulus ad præſtantiſſimas virtutes exercendas. Locuples es; Abraham puto fuiſſe locupletiorem. Job quoque erat dives; eſto ut ille pes claudo, oculus cæco, pater pupillo, pauperibus patronus, atque nutritius; & hoc pacto opes tuæ tibi ad adquirendam, exercendamque virtutem proderunt. Pauper es, & paupertati tuæ ægritudines accedunt; vide Lazarum Evangelicum, qui pauper, & æger ad inſignem ſanctitatem evaſit. Faber es, tota die ad meliorem uſque noctis partem laboribus, tibi familiæque tuæ comparans victum; S. Joſeph in eadem erat conditione; & virtutes ſuæ illum tandem ad altiſſimum gloriæ cumulum pertulerunt.

Centurionis exemplo probatur, militeſque quoque ſalvari poſſe. Caſtra ſequeris, inter arma verſaris: memento ſtrenui illius Centurionis Romani, cujus Apoſtolorum Acta meminerunt; ubi dicitur fuiſſe Religioſus, ac timens Deum cum omni domo ſua. Quin alienis diteſceret ſpoliis, large effuſeque pauperibus erogabat ſtipem, ac inter armorum ſtrepitum pacatum gerebat animum, ac mentem oratione collectam in Deo: *Faciens eleemoſynas multas plebi, & deprecatus Deum ſemper.* (*Act.* 10.) Facile eſt igitur talibus exemplis oſtendere, quæ paſſim in Bibliis occurrunt. Sicut Deus conſtituit varietatem ſtatuum, qui in mundi commercio ſunt neceſſarii, ita illum aſſignaſſe gratiarum copiam ad legem ſuam obſervandam in qualibet con-

conditione, videlicet ad vitam ibi cum ſanctitate ducendam. Si igitur infernus repletus eſt nobilibus, aulicis, militibus, mercatoribus, fabris; ſi omnium ſtatuum fideles quotidie in interitum ruunt; interitus eorum cauſsa non eſt eorum ſtatus & conditio; ſed quia, ut inquit Propheta, in ſtatu ſuo uti noluerunt gratia Dei, quæ omnibus hominibus oblata eſt, ut illius obſervent mandata: *Longe a peccatoribus ſalus: quia juſtificationes tuas non exquiſierunt.* (*Pſal.* 108.)

Perutile eſt ſecundum exempla ſanctorum inhærere praxi peculiaris virtutis alicujus.

Licet ſanctitas ſita ſit in omnium virtutum congerie; nihilominus Sanctus Petrus Damiani ſcite animadvertit, Sanctos ſe ſe quibuſdam virtutibus peculiariter devoviſse, & in iis enituiſse, quin tamen reliquas contemnerent. Ita Abraham excelluit per fidem, Moyſes per manſuetudinem, Phinees per zeli fervorem, S. Petrus per caritatem, S. Joannes per Virginitatem; & licet qui ad ſanctitatem contendit virtutibus omnibus debeat affluere, & pro virili parte illas ad Sanctorum imitationem exercere; nihilominus Sanctus hic Pater docet, prudentis eſſe aliquam peculiariter diligere, qua maxime illectus eſt, & quæ ſtatui ipſius, & muneri, ac ſtudiis ſit magis conformis: ut eam magis familiarem ſibi reddat, ejuſque actus eliciat frequentiores, perfectioreſque; cum liqueat quandoque unam tantum ſufficere virtutem ad ceteras adipiſcendas; tanta enim inter omnes affinitas eſt, & cognatio.

Fideliū quivis ſibi ad imitandum proponere debet Sātos illos, qui ejuſdem cōditionis ac profeſſionis fuerunt.

Quamvis Sanctorum omnium exemplum ſit utiliſſimum ad noſmet ſanctificandos: tamen eadem prudentia, quæ virtutum electionem moderatur, quarum praxis nobis eſt magis neceſſaria, vel quæ nos maxime decet, debet etiam regere Sanctorum electionem, quorum vita magis conformis eſt ſtatui, ac muneri noſtro; *Habet unumquodque propoſitum principes ſuos;* Sanctus Hieronymus inquit, *Epiſcopi, & Presbyteri habent in exemplum Apoſtolos, & Apoſtolicos viros &c.* (*D. Hieron. Ep. ad Heliod. de Inſtit. Monac.*) eorumque conentur aſſequi merita, ſicuti dignitates, & honores aſſecuti ſunt.

S. Paulus Judæis ævi ſui proponebat exempla Sanctorum veteris legis in normā vitæ ipſorum.

Per legis antiquæ exemplar S. Paulus excitabat primos fideles ad praxim virtutum, quas illi exercuerant, ut ſeipſos ſanctificarent. Ab Abel ad Moyſen, & a Moyſe uſque ad Prophetas omnes veteris teſtamenti juſtos ob eorum oculos ſtatuebat abditis in cavernis, errantes in ſolitudinibus, jejuniis exinanitos, pœnitentia ad maciem redactos, accuſatos, calumniis exagitatos, juſtos denique *quibus dignus non erat mundus.* (*Hebr.* 11.) Heu! inferebat Apoſtolus, quis nos prohibere poteſt quominus hujuſmodi exemplis confirmati ingrediamur in ſtadium nobis patens; & quoniam ſumus heredes Sanctorum, & filii, quid obſtatne Sancti ſimus, ut illi? Hæc S. Pauli argumentatio apud nos majorem vim habere debet; quandoquidem hæc infinita Sanctorum multitudo, quæ in Chriſtiana floruit Religione, auxit hanc teſtium nubem, de quibus Gentium Apoſtolus loquebatur. Quid enim dicere præſertim poſſumus coram tot martyribus, cum fides noſtra non ſit amplius obnoxia perſecutionibus, nos quorum conſtantiam Deus tormentis non probat? Nos qui, ut S. Cyprianus ait, Sancti fieri poſſumus ſine ſanguinis effuſione? Nonne ſumus hominum ignaviſſimi, ſi difficultates non terrent? Nonne contumeliam inferimus gratiæ Dei noſtri, ſi dubitamus, utrum regere valeat nos in leviſſimis pœnis, cum Sanctos Martyres in ſæviſſimis ſuppliciis ſuſtinuerit?

Exempla tot puerorū, & puellarum excitare nos debent, ut S. Auguſtinum excitarunt.

Revocari hic in memoriam poteſt viſio admirabilis, qua Deus dignatus eſt S. Auguſtinum paullo antequam converteretur. Videndam illi præbuit caſtitatem ſub imagine matronæ circum undique ſeptæ corona puerorum atque puellarum, qui, & quæ integerrimum puritatis florem ſervaverant; & nobilis illa matrona dicebat illi: *Numquid non poteris, quod iſti, & iſtæ?* Heus tu facere non poteris, quod hi adoleſcentuli, virgineſque facere potuerunt? Nonne tibi ſatis erit animi, ut eorum exempla imiteris? Verum quidem eſt, non propriis viribus id potuiſſe, ſed virtute Spiritus Sancti ſeſe communicantis iis omnibus, quicumque perfectionem voluerint amplecti. Nobiſmet exemplum hoc applicemus, & exiſtimemus, quantumvis modicum laborem ſuſtinere velimus in virtutis ſemita percurrenda, quæ jam attrita, & ſtrata eſt tot omnium ſexuum, ſtatuum, ætatumque veſtigiis, nobis gratiam non defuturam eſſe, ut ad beatum eum finem perveniamus, ad quem ſtrenue pervenerunt illi, pro virili adniſi, & cooperati gratiæ, ut immarceſcibilem conſequerentur gloriam, qua modo Sancti omnes fruuntur.

In anteceſſū coronare noſmet debemus omnibus virtutibus ad intuitum gloriæ ſanctorū ut olim Iſraelitæ ad ingreſsūterræ promiſſæ.

Simul ac Iſraelitæ de cacumine montis Amana viderunt terram ſibi promiſſam, capitibus ſuis florum coronas impoſuerunt, ut coronis redimiti beatam terram illam ingrederentur, ubi ſumma libertate erant fruituri. Promiſſa hæc tellus non aliud eſt, quam cæli figura, quæ proprie terra Sancta eſt, quo nobis contendendum eſt, & quam hodierna die nobis oſtendit Eccleſia, ut magis magiſque nos ad eamdem adquirendam inflammet. Sancti, quos illa noſtris objicit oculis, veri ſunt Iſraelitæ ſinguli coronis ornati, tanquam totidem Reges cæleſtis illius aulæ, qui nos ad Regni ipſius poſſeſſionem adeundam invitant. Eorum poteſtas non alios fines habet, quam omnipotentia Dei, qui caput illorum eſt. Divitiarum loco habent inexhauſtos Dei theſauros, quibus gaudet Deus, & quorum plenitudo omni caret menſura. Hæc illa ſunt bona numero carentia, quæ nobis Eccleſia proponit adquirenda, invitans nos Sanctorum omnium exemplo ad illorum legenda veſtigia ſi cum illis velimus adire poſſeſſionem ejuſdem regni hujus, quod ſibi meritis ſuis compararunt, ſtrenue in tanti boni comparatione laborantes.

Miriades Sāctorū qui in omnibus ſtatibus ſe ſe ſanctificarūt, oſtēdūt nos quoque in quavis conditione poſſe ſanctificare.

Eruditi quidam animadverterunt, nullum inveniri poſſe munus, nullumque in Regno, vel Republica officium; ubi non aliqui ab Eccleſia habiti fuerint tanquam Sancti, ut intelligamus, ſicuti Sancti minime fiunt propter eorum conditiones, ac ſtatus; hos minime prohibere, ne Sancti fiant, ſed fieri vita, quæ ducitur, & fide, qua ſua a quoque munera adimplentur. Hoc fidelibus ævi ſui dicebat Tertullianus: *Nihil refert, ubi ſitis; extra ſæculum eſtis.* Nihil intereſt, quanam in conditione ſitis dummodo Deus in eam, in qua eſtis, vos evocaverit. Itaque illud non quæro, utrum ſæcularis ſis, an Religioſus ſacris initiatus, an matrimonii vinculis impeditus; ſed illud quæro, quod debet eſſe commune Chriſtianis omnibus quemcumque ſtatum profiteantur; hoc enim eſt abeſſe a corruptione ſæculi, quod in omni conditionum genere fieri poteſt. Profecto ex numero Principum, qui ex Chriſtianorum cœtu a ſtatu ſalutis magis abhorrere videntur, ſexcenti inter Sanctos relati fuerunt; & Beatis adſcripti poſtquam in profana vixerunt aula, quin ibi vitiorum contagione inficerentur. Quænam conditio eſt, ubi plus licentiæ, & minus Religionis occurrat, quam in caſtris, ac militari vita? At tamen integri coaleſcerent exercitus eorum qui ſanctitatem inter arma conſecuti ſunt, & integræ legiones viſæ ſunt, quæ vitæ ſuæ jacturam facere maluerunt, quam ejurare fidem. Inter negotioſos homines quot inveniuntur pericula! quæ ſalutis adquirendæ impedimenta! quot difficultates! Et nihilominus plurimi extiterunt, qui conſummatam virtutem prætulerunt, & ad altiſſimum ſanctitatis apicem aſſurrexerunt. Hæc autem multitudo Sanctorum, ex quovis ſtatu, & conditione ex Apoſtoli ſententia ſunt nubes teſtium, qui aliquando contra nos ferent teſtimonium, nobiſque ignaviam noſtram exprobrabunt: *Tantam habentes teſtium nubem.* Numerus eorum palam evincet nos quoque ſanctificari potuiſſe, & nobis vitio vertendum eſſe, ſi res male ceſſerit: *Teſtium nubem.* Nubes eſt, quæ ſuper caput noſtrum pendula eſt in media, ut ita dicam, aeris regione, quod innuit illos in terris fuiſſe, quin terrenarum rerum amore caperentur, & inter negotia, quibus impediti videbantur ſe ſe per pietatem extuliſſe, & de cælo tantum cogitaviſſe *Teſtium nubem.* Nubes eſt, quæ fert imbres gratiarum, & a Deo illas obtinet propter eos, qui in eodem ſtatu verſantur, & qui eaſdem experiuntur difficultates. At caveamus, ne ſit nubes, quæ in caput noſtrum aliquando diſrupta, erumpat in fulmina proferendo condemnationis noſtræ ſententiam, ſi ita miſeri fuerimus, ut pereamus.

Ex S. Ignatii exemplo patet, quanti referat legere vitas Sanctorum.

Nemo eſt, in quo Sanctorum exempla eamdem vim obtinere non valeant, quam olim in monte Sancti Ignatii Inſtitutoris Societatis Jeſu obtinuerunt, cum ille mundi gloria, quam armis ſe adepturum eſſe ſperabat, adhuc eſſet illectus. Cum enim fortuito legiſſet, quo pacto Sancti mundanam hanc gloriam contempſiſſent, cujus libidine flagrabat: tantam concepit virtutis eorum admirationem, tantumque illos imitandi deſiderium, ut ſtatim in arena conſilium inierit generoſum mundo vale extremum dicendi, & ad immortalem hanc tantummodo gloriam contemnendi. Hæc Sanctorum exempla ſæpe in animis hominum conſecuta ſunt, & hanc ipſam ob cauſſam, hodierna die nobis proponit Eccleſia magna ſollemnitatis hujus exempla, ut ad illa imitanda nos urgeat.

Ad Athletarum exemplum rebus omnibus noſmet expoliare debemus non quidem ut cum illis fluxam, ſed immortalē coronam aſſequamur.

Athletarum more, & exemplo pugnare, currere in ſalutis ſtadio, quod nobis patet, ita ut pretium feramus, hoc illud eſt ex Sancti Pauli ſententia, ad quod vocamur, & quod Sancti conſecuti ſunt. *Sic currite, ut comprehendatis.* Athletæ vero, ajebat Apoſtolus, ut liberiores eſſent in curſu, & minus impediti eſſent in prælio, omnibus ſeſe exuunt, & hoc pacto docent, nos quoque quatenus fideles abſtinere opus eſſe ab omnibus mundi hujus impedimentis: *Omnis autem qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet.* Diſcrimen inter illos, ac nos hoc eſt, quod illi quidem ita agunt, ut corruptibilem coronam accipiant, nos vero incorruptam. Diſcrimen prorſus idoneum ad nos pudore ſuffundendos, niſi eos imitemur. Hæc etiam una fuit ex cauſſis, quæ non ſolum tantum fortitudinis Sanctis immiſit, verum etiam tantam a mundo ſeceſſionem in certaminibus, quæ illis adverſus ſalutis ſuæ inimicos ſuſtinenda fuerunt.

Dei amicos eo honore debemus excipere quo Aman excepit amicum Principis, ſed citra invidiam.

Dei magnificentia erga Electos ſuos tanta eſt, ut cum Propheta valeam exclamare: Quam magnificus es, Domine, qui famulos tuos ad tantum gloriæ gradum attollis ſuper mortales omnes dignitates; & cum invido Aman, qui æmulum ſuum in triumpho ſubſequebatur, addere; ita honorandi ſunt illi, quos ſupremus Cæli, terræque Dominus ſua amicitia, atque gratia honorare voluerit. Verum ſchiſmatis ſpiritus, quam longe a Dei ſpiritu abhorres, qui Sancti præripere ſtudes honorem, quem voluit Deus, ut Eccleſia ſæculis omnibus iiſdem adhiberet! Neceſſe non eſt hoc loco proferre plurimos locos Scripturarum, ac teſtimonia. Feſtivitates, quæ ad hunc effectum inſtitutæ ſunt, ſermones, & elogia, quæ Cypriani, Gregorii Nazianzeni, Chryſoſtomi, Ambroſii, Auguſtini protulerunt, ut populos ad Sanctorum obſervantiam hortarentur; celebritates, quæ fiebant ad horum Beatorum monumenta, Concilia adverſus Iconoclaſtas habita: hæc omnia conflant conſtantem Primævæ Eccleſiæ traditionem, uſque ad ſæculum infelix noſtro huic proximum, ubi inſurgere viſus eſt error adeo pernicioſus contra cultum Sanctorum, quem argumenta adeo valida, & ad perſuadendum idonea nondum auferre valuerunt, ita ut nonnulli ex hæreticis reſpondere malint, Patres omnes, & Eccleſiæ Doctores in errorem incidiſſe, quam fateri, ſeipſos aberrare; alii vero fateantur, Sanctos, quovis tempore in honore habitos fuiſſe, ſed illos nunquam fuiſſe invocatos; & conantur ſaltem partem cultus eorum imminuere, quandoquidem omnino cultum nequeant antiquare.

Nō querendū nobis eſt de ſis difficultatibus, quæ in via gloriæ ſuſcēdæ ſunt, ut olim Iſraelitis.

Cavendum diligenter nobis eſt, ne imitemur ignavos illos murmuratores Iſrael, qui promiſſam terram ingredi nolebant, dicentes ſe, in ea vidiſſe monſtra: *Vidimus monſtra.* (*Num.* 13.) Sed Joſue fidelis, ac ſtrenuus eorum dux dixit eis; qua de re conquerimini? Nobiſcum eſt Dominus, *nolite metuere.* (*Ibid.* 14.) Hæc ipſa verba nobis Deus dicit, querentibus de difficultate viarum, quæ ad ſalutem adducunt: *Noli metuere,* quid trepidandum eſt tibi, ignave fidelis, cum ego ſum tecum? Num difficultates tuæ majores ſunt illis, quas Sancti ſuperarunt? Via, quæ ducit ad Cælum num hodie quam olim magis eſt inhoſpita? Nonne ejuſdem es naturæ, & conditionis, cujus illi fuerunt? nonne tibi eadem non ſuppetunt præſidia? nonne tibi non eadem gratia exhibetur? Quæ igitur eſt timoris tui cauſſa, niſi fortaſſe ignavia tua?

Bonum & pravum exemplū magni ponderis eſt, ut nos in vitiū aut in virtuté impellat.

Sicut nihil pernicioſius eſt ſcandalo, ex Tertulliani ſententia, quoniam exemplum eſt rei pravæ, quod eam quodammodo probat, & in animabus munit propenſionem in malum: *Scandalum rei malæ, exemplum ædificans ad delictum:* ita bonum exemplum validiſſima ratio eſt, qua Deus utatur ad homines in virtutem pertrahendos. Hac de cauſſa Spiritus Sanctus in Scripturis nobis reliquit vitas Sanctorum veteris teſtamenti; præcipuæ Apoſtolorum actiones in Actis deſcriptæ ſunt, & Eccleſia in Faſtis memoriam ſervat earum rerum, quas Sancti fecerunt, ut adipiſcerentur gloriam, qua perfruuntur; ut magna hæc exempla mentibus noſtris præſentiæ nobis animos addant ad ſuperandos obices, quos illi ſuperaverunt, ut & nos ad terminum eumdem pervenire valeamus. Quibus vero modis Sancti vita nobis perſuadet ſanctitatem? Duplici, S. Chryſoſtomus ait, nobis oſtendens ſanctitatis prefectionem, & corrigens in nobis vitia, quæ ab eadem nos arcent. Nam Sancti alicujus vitam conſiderans intelligo nihil in eo reperiri quod amandum, & plurimi faciendum ſit præter virtutem, & ad examen revocans ea, quæ Sancti fecerunt, diſco, quid mihi faciendum ſit. Ita Mathatias illuſtris ille Machabæorum princeps filios ſuos in Religionis veræ cultu retinuit. Fingite vobis, dicebat ille, exemplum horum Iſraelitarum Divinæ legi fidelium, ex quibus duxiſtis originem, Eliæ zelum, fidem Abrahæ, lenitatem David, obedientiam Iſaac, caſtitatem Joſeph. Hoc pacto ſummus ille Vir virtutem perſuadebat ſuis, propoſito illis majorum ſuorum ſanctitatis exemplo.

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum huic argumento.

Unius, & omniū Sanctorū exemplo videmus ſanctitatem non excedere vires noſtras.

Quis aſcendet in montem Domini? Pſ. 23. Quo reapſe pacto aſcendere poſſumus in montem inacceſſum, ſpinis repletum, ſentibuſque conſitum, imbutum ſanguine, & madidum lacrimis illorum, qui nos præceſſerunt? Quomodo ambulare licet per inhoſpitum? Hæc fere objiciunt homines, ut ſuam ignaviam, ac negligentiam excuſent. Iniqua ſententia, quæ quotidie tot nocentes facit! ſed quam explodunt Sanctorum exempla, & experientia certaminum, ac triumphorum ſuorum, ita ut de omnibus dicere poſſimus, quod de uno eorum dicit Tertullianus: *Conſiſtit Job in exemplum infidelium.* Job nobis occurrit in ſterquilinio, tanquam victor in theatro, comparandus cum omnibus ſpiritibus ignavis, ac mollibus, qui dicunt patientiam inter dolores ſupra hominum naturam eſſe poſitam. Sed quod peculiari gratia in homine uno factum eſt, Sancti omnes ſimul oſtendunt exemplis ſuis fieri poſſe, ut evincant, ſanctitatem non eſſe impoſſibilem, quod falſo plurimi dictitant, & ſibimet perſuadent.

Nullā poſſumus afferre excuſationem propter multitudinem teſtiū, qui ſtāt contra nos.

Vidi turbam magnam. Apocal. 7. Divinæ placuit Providentiæ, in omni contradictionum ſpecie florere Sanctos Viros, & in illis etiam, a quibus virtus, & ſanctitas ipſa magis abhorrere videntur. Non deſunt Sancti ex Regum Principumque numero, licet aula per mollitiem, & vanitates ſuas adverſetur ſanctitati. Sunt etiam inter milites Sancti, licet bellum pietati adverſetur; & omnes hi Sancti hodierna die congregati, nobis exempla ſua oſtendentes, quamlibet adimunt excuſationem. Hæc Sanctorum turba, S. Paulus ait, eſt nubes teſtium, qui probant nos quoque Sanctos eſſe poſſe: *Impoſitam habemus nubem teſtium.* Nubes non repente coaleſcit, ſed paullatim vaporum acceſſione conflatur, qui tandem ventorum, ac procellarum vi diſſolvuntur in pluviam. Deus ita ab ipſo mundi exordio paullatim collegit Sanctos ex variis Terrarum plagis, ut ex iis teſtium nubem effingeret, qui ſuarum virtutum exemplo probarent, nos quoque poſſe evadere Sanctos.

Dei mandatū ad homines, ut ſancti ſint ſupponit nos ſanctos fieri poſſe.

Sancti eſtote, quia ego Sanctus ſum. Levit. 11. Nonne mirum eſt, Deum hujuſmodi præceptum hominibus erogare, ut ſeſe ultra imbecillitatem conditionis ſuæ attollant, & ultra naturæ ſuæ infirmitatem, ut ſeſe illi ſimiles reddant, ut æternum cum eodem in cælo eſſe mereantur? quid eſt in homine, quod obicem non conſtituat imperio, quo illos ſanctos eſſe juſſit? Sanctitas eſt ab omni ſordium genere longinquitas; ab omnibus terrenis rebus ſeceſſio, de omnibus animi cupiditatibus plena victoria: inſeparabilis Creatori per ardentem caritatem adhæſio; atque ut Sanctitas hæc conſummata ſit expers omnium periculorum, quibus patet in hac vita, perfruendum eſt ſummo bono, cujus poſſeſſionem largitur Deus illis tantum, quos ab æterno prædeſtinavit. Ceterum quis homo eſt, cui Deus hanc irroget legem? Peccator eſt, ante ipſam nativitatem; natus cum propenſione quadam in malum, quod totam illius vitam coinquinat; cæcus in veri boni ſui cognitione, imbecillus ac mobilis in ſuis deſideriis, ſuarum cupiditatum mancipium, in ſenſibilia bona pronus, vivens inter laqueos, & inſidias inimicorum, undique ſeptus manifeſtis periculis in mundo corrupto, ubi omnibus rebus fertur in vitium, & a ſanctitate deterretur? Hunc tamen hominem adeo infirmum jubet Deus, Sanctum eſſe: ſed hoc ipſum Dei præceptum probat, quod homo parere poſſit; cum enim Deus non minus ſit æquus, quam Sanctus, nunquam præcipere poteſt hominibus, quod vires eorum excedat.

Eccleſia omnium ſimul Sanctorum feſtivitatem nobis proponit, ut nobis animos addat.

Filii Sanctorum ſumus. Tob. 8. Eccleſia in hac omnium Sanctorum feſtivitate nobis proponit imaginem ſanctitatis, non in præliis, ſed in triumphis, non jam ſuper eculeos tractam ut feris objiciatur, aut cruentis voluptatibus populi barbari, ſed in thronum aſſumptam, ut nobis dicat, ac perſuadeat nos filios eſſe Sanctorum: *Filii Sanctorum ſumus.* Videtis ne in renidentibus thronis Sanctos gloria redimitos? Vobiſmet ad hoc ſpectaculum perſuadete de generis veſtri nobilitate, & neceſſitate in vobiſmet per mores exprimendi illorum ſanctitatem, ut accedatis in partem hereditatis, quam poſſident, & quam vobis quoque procurare vellent. Hac die vere adimpletur viſio S. Joannis. *Vidi Sanctam civitatem, Jeruſalem novam deſcendentem de cælo.* Deſcendit Sancta Civitas iſta per protectionem, pro Eccleſiæ communi bono, interceſſiones, & Sanctorum ſatisfactiones ingeminans. Deſcendit exceptura honorem, quem militans Eccleſia in hac celebritate illi defert; deſcendit tandem per imaginem gloriæ ſuæ ad augendam fidelium ſpem, ac illis perſuadendam ſanctitatem, & cauſſas ſpei hujus aperiendas. Nam non poſtrema ratio, qua Dei gratia utitur ad nos ad Sanctitatem excitandos, ſpes eſt gloriæ, quam Sanctis Deus pollicitus eſt; hæc enim noſtram cient fortitudinem ut conſtanter iſtud conſilium ſequamur; non ſecus ac ſpes bonorum, quæ nos maneat, eſt cauſſa vulgatior omnium actionum vitæ noſtræ. Non ideo tamen dixerim præcipuam noſtræ Sanctitatis cauſſam eſse debere cupidam hanc, & minime integram virtutem; Deo præſertim ſerviendum eſt, propter Dei ipſius amorem; ſed Dei Providentia hac utitur ratione ad noſtram excitandam, exercendamque virtutem.

Sanctorum teſtimonia quamlibet nobis excuſationem adimunt.

Quis aſcendet in montem Domini? Pſ. 23. Noſmet miſero tempore patientes rapi, & criminoſa ignavia animis deſpondentes ad intuitum difficultatum omnium ſeu veræ illæ ſint, ſeu fictæ, quæ paſſim in virtutum praxi occurrunt; nequicquam, ſuſpiria ex imo trahentes pectore dicimus: *Quis aſcendet in montem Domini?* Heu! quam ardua res eſt ſalvari! Et quam difficilis nobis videtur Sanctitas iſta! Summa cum injuria Sanctum hunc Domini montem, tanquam inacceſsam inhoſpitamque rupim, intuemur, adhuc rubentem ſanguine eorum, qui in eamdem conantur evadere. Hæc teſtium nubes, quam hodierna die nobis exhibet Dominus, quamprimum confiteri nos coget, difficultates omnes, quas ipſi fingimus, non aliud eſse, quam inane phantaſma, quod nobis incutit metum; nullos unquam homines extitiſse beatiores quam Sanctos, illis ſuave, & dulce viſum eſse, quidquid oculis carneis eſt terriculamentum. Hi novi fideles, qui cauſsam aliquam prætexunt, ubi munus non explent ſuum; & qui commentitias allegant difficultates ad ſanctitatem indipiſcendam innixi ſtatibus, & conditionibus ſuis, facile Sanctorum teſtimonio non juſtitiæ ſolum, verum etiam infidelitatis redarguuntur.

Eccleſia nobis proponit omniū Sanctorū exempla, ut eorū legamus veſtigia.

Sancti eſtote, quia ego Sanctus ſum. Levit. 11. Eccleſia fruſtra per totum anni Chriſtiani curriculum nihil prætermiſit, ut nos ad virtutem excitaret. Inutili labore nobis ob oculos poſuit omnia miracula nativitatis, vitæ, mortiſque Salvatoris in feſtorum dierum ſuorum ſollemnitatibus. Fruſtra nobis in his celebritatibus retexit infiniti erga nos divini amoris mirabilia, omneſque myſticas actiones, quas pro nobis facere, & pati dignatus eſt. Magna illa ſpectacula, quæ olim creatis rebus, ſenſuque carentibus tantum injecere ſtuporem, & quæ ipſa etiam natura admirata eſt, cordium noſtrorum duritiem minime flexerunt. Denique affectus ille, quo Eccleſia noſtram proſequitur utilitatem, illam hodie extremum caritatis actum elicere cogit. Hæc nobis aperit cælum, atque univerſam Jeroſolymæ cæleſtis pompam oſtentat, ut noſtram cieat ambitionem, ac languentem excitet pietatem. *Reſpice,* inquit ſingulis noſtrum *Sion Civitatem ſollemnitatis noſtræ.* Oculos fige in magnitudinem, & pulcritudinem Sanctæ Sion, & videbis nihil comparari poſſe cum opibus, & gloria ampliſſimæ hujus Civitatis, & licet Deus ubique locuples, ac liberalis videatur; illic ſolum ejus celſitudo, & magnificentia coruſcat. Si veræ gloriæ cupiditate flagras, ſi voluptates, ſolidaſque divitias perſequeris, ibi inexhauſti adſunt theſauri; ibique fluunt æterni fontes. Ita Eccleſia excitare vult noſtram ignaviam ad ea, quæ ad nos maxime pertinent. Oſtendit nobis ſedem bonorum omnium, ut nos ad virtutum praxim inflammet; nobiſque infinitam omnium Sanctorum felicitatem proponit, ut eorum veſtigia ſequamur, eorumque imitandi tribuat facultatem. *Flechier.*

Cū Deus jubet nos Sanctos eſſe, quia illeſāctus eſt nihil præcipit ſupra vires noſtras.

Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra. Ad Theſſ. 1. Non præcipit nobis Deus, ex S. Auguſtini animadverſione, ut operemur miracula, quæ ſtuporem humanis mentibus injiciant, ac ordinem naturæ ſubvertant; quoniam ipſe omnipotens eſt. Non præcipit, ut mundi moderemur habenas, ac terris leges irrogemus; quia ejus potentia, atque ſapientia ſingula ad fi-

nem

nem ſuaviter, fortiterque ſimul perducunt. Hæc munera ſunt incommunicabiles prærogativæ majeſtatis illius, & quarum imitatio non minus impoſſibilis eſſet quam funeſta naturæ infirmæ, ac invalidæ, quæ perfectionem ſuam deſurſum debet recipere, & cujus ſubmiſſio totum illius bonum conſtituit. Præcipit, ut ſancti ſimus, quia ille ſanctus eſt; *Sancti eſtote, quia ego Sanctus ſum.* O Deus, quanta eſt tua erga homines bonitas! Ex omnibus adorabilibus qualitatibus tuis, quæ divinam eſſentiam tuam conſtituere debent objectum humiliationum, & obſequiorum rerum omnium creatarum, nulla tibi antiquior eſt ſanctitate; & nihilominus hanc auguſtiſſimam qualitatem elegiſti, nobis communicandam; quia hæc una eſt, quam feliciter imitari poſſimus, & quæ nobis facultatem conferre poſſit ſibi placendi.

Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat. Apocal. 7. Dæmones vitia publicarunt, & licita eſſe probarunt ingenti vitioſorum hominum numero, & magna pravorum exemplorum copia, quam SS. Patres violentum Babylonis torrentem appellant, quo infirmi omnes in infernum rapiuntur. Ita Dei noſtri bonitas in hac ſollemnitate vult vitia impugnare, noſque ad virtutem impellere per innumeram hanc Beatorum copiam, qui ſemet ſanctificarunt in omnibus ſtatibus, regionibus, partibuſque hujus orbis: *Ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis.* Quot ſanctos nobis proponit in gloria, tot ſunt Doctores, ac Prædicatores, qui nobis Sanctitatem prædicant, eamque nobis eo fortius, & eloquentius perſuadent, quo lingua operum majorem habet perſuadendi facultatem, quam lingua verborum. Heu! Quam diſertos, patheticoſque ſermones in nobiſmet audire poſſumus, ſi virtutes Sanctorum meditari velimus? O præclara humilitatis, patientiæ, lenitatis, fortitudinis, ac zeli pro Dei gloria documenta! Odii peccatorum, & amoris virtutis audiremus, ſi vellemus aſcendere ſuper amphiteatra martyrum, vel penetrare ſpecus præſentia Sanctorum Confeſſorum, Virginumque Sanctarum ſanctificatos.

Inſignia Sanctorum facta fortius nos docent ſanctitate, quam prava improborum exempla vitium & nequitiam doceant.

Filii Sanctorum ſumus. Tob. 8. Dæmones corruperunt mores filiorum, pravis exemplis patrum, & Salvator hodierna die Sanctos nobis oſtendit, tanquam parentes noſtros in gratia, qui per noſtram cum illis cognationem invitant, ne ſimus ab ipſorum gratia degeneres, iiſque ſimiles evadamus: *Filii Sanctorum ſumus.* Videte, quæ veſtra affinitas ſit: filii eſtis Apoſtolorum, Martyrum, Virginum. Dæmones vitiis auctoritatem conflarunt numero impiorum, & copia pravorum exemplorum; Dei vero Filius præſenti ſollemnitate illos impugnat. Sanctorum multitudinem ciet, & hanc nobis oſtendit innumerabilem Beatorum copiam, quorum teſtimonium millies magis admittendum eſt, quam illud impiorum, & quam perſuaſiones dæmonum, qui illis uti conſueverunt, ut omnibus flagitiis aliquem auctoritatis fucum allinirent. Sumus filii Sanctorum. Quam magnificus hic titulus eſt? Quam glorioſa nobis eſt qualitas iſta? ſed quænam ex nobis officia requirit, quæ parum a noviſſimorum temporum horum fidelibus obſervantur? Poſſumus jure conqueri cum Propheta, ac cum illo dicere: Cuſtodi me Domine inter innumeras haſce pravorum turbas, qui omnia rationis, & fidei lumina extinxerunt, & qui nullo habent in diſcrimine tua ſanctiſſima præcepta. Nobiſmet proponentes Sanctorum exempla, eorumque virtutem imitantes, quot ex tantis malis evitare poſſemus?

Cū Sancti nobis ſint magnū ſpectaculum quod admiremur; nos aliquādo exprobabunt ſi illos imitari neglexerimus.

Spectaculum facti ſumus Mundo, Angelis, & hominibus. Ad Cor. 1. Sancti nonne modo in cælo dicere poſſunt, quod de illis dicebat S. Paulus, & de ſe metipſo in terra; illos eſſe ſpectaculum non ſolum ad intuendum, verum etiam ad imitandum propoſitum? Videtur enim eorum quilibet nobis oſtentans actiones, quibus meritus eſt coronas, quas geſtat, nos docere, ut pugnemus, & vincamus. Intuemini hæc exempla, verum ſimul etiam imitamini. Pugnate ut illi, ſi gloriæ eorum in partem vultis accedere. Spectaculum glorioſum! Sancta exempla! quam vim facere non debetis in animis noſtris! Quam potenter nos eruditis! quandoquidem adeo manifeſtis argumentis probatis, nos fieri poſſe id, quod ſunt ſancti; quia illi fuerunt, quod nos ſumus, & nullos eſſe obices, quos ſuperare nequeamus, quandoquidem ex iis ipſi victoriam reportarunt. Et ſicuti illi omnes admirabiles extitere per ſanctitatem ſuam, omnes aliquo ex loco commendabiles, omnes propter graves pugnas, & eximias victorias inſignes; eorum exempla totidem ſunt exprobrationes ignaviæ, negligentiæ, ac noſtræ ſtupiditatis.

Non Deus tantum, ſed etiam Sancti erūt judices noſtri niſi eorū exēpla fuerimus imitati.

Inſtauras teſtes tuos contra me. Job 10. Inſtituet Deus duo genera judiciorum, alterum quidem comparationis, in quo judicabit, damnabitque pravos fideles per exempla Sanctorum. Accedite, illis inquiet, fideles ignavi! cur ſiſtitis voſmet ad meum tribunal cum manifeſtis criminum veſtrorum notis? Nonne habebatis Sanctorum exempla, quæ vos ad pœnitentiam revocare debebant? Illi ejuſdem fuerunt naturæ, cujus vos. Vobis non defuerunt gratiæ eædem, vos in eadem Eccleſia alti, & educati fuiſtis. Iiſdem nutriti fuiſtis Sacramentis; ad gloriam eamdem contendiſtis, & nihilo ſecius a virtutibus eorum degeneraſtis. Vixiſtis quaſi dæmonum filii. Ite maledicti! indigni eſtis, qui eorum nomine vocemini; indigni, qui glorioſam æternamque hereditatem a me illis paratam poſſideatis. Ne præſtolemur ſeverum hoc judicium, ſed præoccupemus illud noſmet judicantes; ad examen rigida cenſura vocemus facta noſtra, & videamus quam longe diſtemus a prima Eccleſiæ ſanctitate, & puritate Sanctorum. Contendamus ad illorum conditionem, ac dignitatem; dicamus nobiſmet ipſis: *Filii Sanctorum ſumus.* & eorum heredes; ſperemus nos aliquando gloriam eamdem poſſeſſuros; Conemur ergo eorum imitari exempla, & zelum, ut in triumphi eorum partem accedamus.

Patienter nobis hujus exilii labores ſuſtinendi ſunt, ut participes ſiamus in cælo triumphorum.

Beati pauperes .... Beati mites .... Beati qui lugent ... &c. Matth. 5. Talis fuit Sanctorum conditio, tempore vitæ eorum mortalis. Vexati, exagitati, in contemptu habiti ab impiis, dolores ſuos expectatæ gloriæ aſpectu conſolabantur. Conſiderationibus, ac ſpe præſens tempus cum futuro jungebant, triumphos ſuos cum præliis miſcebant, & hac mixtione laborum, atque præmiorum priores poſterioribus mulcebant; & certi ſe in pace, & gaudio meſſuros, quod in lacrimis, ac triſtitia ſeverant, per impatientiam perveniendi ad terminum, ubi ſanctitas ſua mercedem locupletiſſimam erat inventura, ſtrenue decurrebant vias, quæ illuc adducunt, quantumvis eſſent aſperrimæ. In optione, quæ illis permittebatur, vel hujus, vel alterius mundi felicitatem eligendi, vivebant ſpiritu, & in partem laboris vocabant corpora, ut Tertullianus ait, ad coronam promerendam; & hæc illa via eſt, quam nos ſequamur oportet.

Dei voluntas eſt, ut ſanctificemur.

Hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra. 1. Theſſal. 1. c. 4. Vocati eſtis ad Regnum, cujus prima lex eſt Sanctitatis; facti eſtis, ut ſerviatis Deo, cujus potiſſimus ardor eſt hominum ſanctificatio. Vos deſtinati eſtis ad hanc gloriam, quam non tribuit, niſi diligentibus ipſum, eumque imitantibus. Nonne jure Dei nomine dico vobis: *Hæc eſt voluntas ſanctificatio veſtra?* Qualitas Sancti ea eſt, de qua crebro gloriatur in Scripturis. Cælum quod habitat, & quod ſua replet majeſtate, eſt Sanctuarium ejus; canticum æternum, quod ibi canitur, nihil eſt niſi iterata Sanctitatis ipſius commendatio. Ejus occupatio eſt per juſtitiam ſuam coronare Sanctos, quos tales per gratiam effecit. Beatus, qui per fidem ſeſe attollens ſupra creata penetraret velamenta æternitatis, & ex ſinu Dei ipſius ex ipſo fonte ideam ſanctitatis hauriret! Sed quænam proportio invenitur hominem inter & Deum, & aliquiſne ſanctus eſſe poteſt, ut Deus? aiebat Propheta. Qui ſuſtinere non poſſunt Solis fulgorem, reſpiciunt in aquis ejus imaginem, quam ibi ſuimet ipſius exhibet; nos vero, cum minime valeamus Dei magnalia intueri, ſatis eſſe putamus illum admirari, laudare, & imitari in Sanctis ejus, qui oculis noſtris divinas illius perfectiones repræſentant. *Flechier in Præfatione.*

PARAGRAPHUS IV.

Loci, Sententiæ Sanctorum Patrum, aliique Auctores in hoc argumento.

Toties dies natalitios Sanctorum celebramus, quoties virtutes eorum recolimus, quibus claruerunt in terra. S. Auguſt. in quodam ſermone.

Ut imitari non pigeat, quod celebrare delectat. Idem ſerm. 45. de Sanctis.

Ab iis vere ſanctorum martyrum feſtiva gaudia celebrantur, qui eorum exempla ſequuntur. Ibid.

Sanctorum vita nobis eſt norma vivendi. S. Ambroſ. l. de Joſeph.

Si Sanctorum cupis habere conſortium, a malitia, & nequitiæ cogitatu pectus emunda, quia non niſi Sanctos, innocentes, & pueros cæleſtis aula ſuſcipiet. S. Hieronymus in quadam Epiſtola.

Quæ eſt iſta juſtitia? Sanctos colere, & ſanctitatem contemnere; primus gradus pietatis eſt ſanctitatem diligere, poſtea Sanctos. S. Chryſ. homil. 24. in Matth.

Qui Sanctorum merita religioſa caritate miratur, eorum mores ſanctos, atque juſtitiam imitetur. Idem ſermo de Confeſſ.

Qui Sanctorum merita admiratur, mirabilis ipſe vita ſanctitate reddatur. Idem.

Iſta ſunt, quæ Sanctitatis cauſſa ſervanda ſunt; pudicitia corporis, caſtitas animæ, & veritas doctrinæ. S. Auguſtin. de Doctrina Chriſt.

Quam magna Deus largietur bonis, qui tam magna largitur ingratis? S. Eucherius.

Veneremur Sanctos, quibus traditum eſt triumphale regnum, judiciaria ſedes, Angelorum conſortium, beata viſio, Chriſti conformitas, ſtellarum claritas, ſecura manſio, grata ſocietas, & divini luminis ſempiterna Comprehenſio. S. Laurentius Juſtinianus ſermone de omnibus Sanctis.

Noli tantum attendere, quo iturus es, ſed quo venturus. Tolerabis dura temporalia, ſed ad lætitiam pervenies ſempiternam. S. Aug. in Pſ. 36. Conc. 2.

Si vis ſuſtinere laborem, attende mercedem. Idem ibid.

Cum attenderis, quid ſis accepturus, miraberis tantum dari pro tantillo labore. Idem ibid.

Nonne pro vita æterna cuncta laborioſa ſunt ſubeunda? Non eſt parvum quid perdere, aut lucrari regnum Dei. Lib. 3. de imit. Chriſti cap. 47.

Hi mihi traditi ſunt in magiſtros, & in mediatores, quibus ſecure me committere poſſum, quia & notas mihi fecerunt vias vitæ, & illis mediantibus ad mediatorem aſcendere potero. S. Bernardus de Sanctis.

Studeamus, fratres, vivere vita juſtorum, ſed morte eorum mori, multo magis deſideremus. Idem.

Ex omnibus Sanctis niſi tu etiam aliquando unus es; heu! nullus es. Feſti Mariani 1. Novembris.

Homo quærit requiem, non in regione ſua. S. Auguſtin. in Pſal. 48.

Actuoſas Sanctorum vitas velut ſimulacra quædam ſpirantia aſpicere oportet, probaque illorum opera ſua imitando facere. S. Baſilius Epiſt. ad S. Gregorium Nazianzenum.

Quamvis unuſquiſque Sanctus omnibus florere virtutibus debeat: una tamen virtus cuique eſt præ ceteris eligenda, cui mens familiarius inhærendo, deſerviat. Petrus Damiani, opuſc. 9. cap. 1.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ penu in hoc argumentum valeat depromi.

Feſtum omniū Sanctorū peccatoribus eſſe debet cauſſa lætitiæ, ſicut peccatorum converſio cauſſa eſt lætitiæ Sanctis.

ÆQuum eſt, quandoquidem Sancti in Cælo lætantur propter unius etiam peccatoris converſionem, ut peccatores quoque viciſſim in terris propter Sanctorum felicitatem congaudeant. Nos fragiles creaturæ, qui ingemiſcimus hic deorſum in terris ſub vanitatis jugo, etiam præter voluntatem; qui in jugi ſollicitatione verſamur, inter cupiditatum noſtrarum procellas, tanquam in medio gentis perfidæ, ac rebellis; & qui prælia gerimus ſub vexillis filii Dei patientis, & humiliati; non ne inſpicere tenemur ſancta cum æmulatione illos, qui victores mundi, & poſſeſſores tranquillæ, & beatæ immortalitatis perfruuntur fructibus laborum ſuorum, atque æternum regnant cum Jeſu Chriſto? Hanc ipſam ob cauſſam præcipit nobis Eccleſia, ut illos in honore habeamus, & laudemus poſt ſanctitatis eorum conſummationem.

Sanctus mos colendi ſanctos qui regnant in cælo ab Eccleſia in hujus diei ſollemnitate recolitur.

Indiſcreta vanitas apud Ethnicos conſuetudinem invexerat celebrandi diem miſeræ nativitatis, qua mortales, omneſque ſimul peccatores prodibant in hanc lucem experturi corporis, animæque infirmitates. Sed prudens Caritas inſtituit inter Chriſti fideles morem recolendi memoriam Sanctorum, cum pro illis pateſcant Cæli januæ, & cum illi mortalibus relictis ſpoliis, ſeſe velut aquilæ attollunt, ut æterni Solis radiis calefacti ſuam inſtaurent juventutem. Elegit illos Deus ex omnibus terrarum partibus, ut nominis ſui gloria ubique exaudiretur, & quilibet populus ſuos haberet Apoſtolos, atque Prophetas; ut Evangelium ſuum prædicaretur, & obſervaretur, & ubique remanerent irreprehenſibilia veſtigia veritatis ſuæ, ſanctitatis exempla, & gratiæ miracula. Omnes Sanctos colimus ſingillatim in totius anni decurſu, eoſque ſimul omnes in die commemorationis eorum recolimus; ut magna hac multitudine, vel, ut Apoſtolus inquit, nube teſtium convicti Dei celſitudinem admiremur in præſtantia gloriæ ſuæ; divitias bonitatis ejuſdem in varietate ſuarum vocationum, atque donorum, fidelitatem in exequendis promiſſionibus ſuis, & ſecreta Providentiæ ſuæ, in viis, quas cuique aperit, ut ſinguli ſanctificentur. *Flechier in Præfatione in Omnes Sanctos.*

Deſiderium quo omnes homines expetunt felicitatē replerí nō poteſt niſi gloria quā poſſidēt Sancti.

Omnes homines quidquid agant, quidquid conentur, ſemper ſibi proponunt quoddam bonum, quamdam felicitatem: ſed vagum hoc, & indeterminatum deſiderium felicitatis quod efficit, ut nonniſi propter illud agamus, non poteſt in hoc mundo objectum fixum habere, niſi propoſuerimus gloriam, quam poſſident Sancti. Hic unus intuitus nobis perſuadebit, ut ea optemus adminicula, per quæ illuc pervenire poſſimus; hoc enim ſolum bonum eſt, quod nos explere valeat, & noſtris ſatisfacere deſideriis. Videntes non aliam nobis ſupereſſe viam, quam Sanctitatem, hoc medium arripere cogemur, præſertim vero, ſi ea Principis Apoſtolorum verba cogitabimus: *Satagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis.* Hoc unum illud neceſſarium eſt, de quo loquitur Evangelium; ſed ne putetis vos alia quapiam via illum aſſecuturos, quam per ſanctitatem, quæ in eo ſita eſt, ut malum quidem fugiamus, & bonum operemur: *Satagite per bona opera.* Hæc eſt malorum omnium origo in pleriſque mortalibus. Non cogitant finem illum, pro quo facti ſunt; immo tantum abeſt, quod hoc unum intueantur, finem ſibi conſtituunt ex mediis, quæ illis Deus largitus eſt, ut ad finem pervenirent. Non enim cogitant aliud, quam de provehenda fortuna; ſexcenta ſibi proponunt conſilia ambitionis, & ad mundanam dumtaxat, & perituram gloriam aſpirant; unde oritur, quod ſicuti finis iſte malus eſt, media, quæ eliguntur, ut eo perveniatur, ad eorum ſanctificationem minime ſpectent.

Si Sancti adhuc vivētes in terris merētur honorē; æquiori titulo debent honorari, ex quo ad gloriam pervenere.

Si æquum eſt honorare Sanctos, qui adhuc verſantur in terris, quoniam faciunt Dei voluntatem, annuntiant miſericordias illius, veritates tuentur; quam venerationem fovere debemus erga has animas beatiſſimas, quæ amplexæ ſtatum vitæ abſconditæ, laborioſæ, crucifixæ Salvatoris, poſt vitæ hujus ærumnas, atque paſſiones translatæ fuerunt in ſedem tranquillitatis, & gloriæ? Huic pietatis cultui addendus nobis eſt laudum cultus, qui perhibet teſtimonium virtuti eorum, & qui confitetur juſtitiam, & veritatem ſanctitatis eorum. Duo veritatem in mundo perturbant, aſſentatio, & obtrectatio. Altera virtutem corrumpit, altera illi abrogat auctoritatem. Omnia diſſimulat adulatio. Obtrectatio quoque omnia deformat. Sed tanto æquius eſt Sanctis debitum honorem conferre, quanto ſuperiores ſunt & adulationibus, & obtrectationibus, & per Domini gratiam, cui penitus inhærent, nihil ipſis metuendum eſt ab his duobus inimicis ſanctitatis quam colimus in perſonis eorum. *Flechier.*

Hæc veritas eſt, de qua omnes Catholici Doctores conſentiunt, cultum, qui debetur Sanctis, non eſſe illum, qui debetur Deo, & neminem fidelium id crediſſe; Hunc autem neque illum eſſe, qui terræ principibus, aut regibus debetur, neque illis, qui in pretio habendi ſunt ob præclaras animi dotes, & qui alios ob jocos contemni poſſunt; quamvis illorum vitia, & noxæ minime impediant quominus in iis vereamur dignitates, quibus decorati ſunt. Immo neque eos veneramur propter naturales qualitates, quæ in Sanctis renidere potuerunt, quales ſunt ingenium, ſcientia, fortitudo, nobilitas, aut virtutes mere morales, quibus illi commendari potuerunt, non ſecus, ac homines alii; quoniam hujuſmodi bona, ad examen revocanda non ſunt in eo cultu, quem illis deferimus; neque puto ideo adverſarios noſtros fateri, aliquod illis honoris, ac obſervantiæ genus eſſe deferendum: ſed tantum propter illorum ſanctitatem, pietatem, & gloriam, in cujus partem placuit Deo illos admittere, & in poſſeſſionem vocare. Dicant igitur mihi quo nomine cultus hic ſit appellandus; Eccleſia eum religioſum cultum appellat quod nullam patitur difficultatem, quandoquidem cultus eſt mere ſuperior humano cultu. Tandem enim gratia, gloria, ſanctitas, & cæli dona, quibus Sancti excelluerunt, merentur, ut illi in honore habeantur quam homines paſſim alii. Cultus, & honor, qui illis adhibetur, ſuperior eſſe debet illo, quibus mundi principes coluntur, alioquin infinite inferior ſupremo cultu, qui unice pertinet ad Deum.

Quo in ſenſu Sancti ſint Mediatores noſtri.

Nulla re magis offenduntur Hæretici, quam illa Catholicorum conſuetudine, qua Sanctos invocant. Verum ſi hac in re conſuluiſſent Patres, næ illi quidem non prætuliſſent ſententiam peculiarem ſuam univerſali Eccleſiæ conſenſui. Verbum incarnatum re vera ſolum eſſe mediatorem Redemptionis, & propitiationis, quemadmodum Theologi omnes toties illi reſponderunt; videlicet unum ipſum nos redemiſſe per meritum Sanguinis ſui; unum ipſum exſolviſſe juſtum redemptionis noſtræ pretium; unum ipſum nos cum læſo Deo conciliaſſe, & hoc palam a Sancto Paulo explicitum fuiſſe in hoc eodem loco, quem corruperunt: *Qui dedit redemptionem ſemetipſum pro nobis.* Sed verum non eſt illum unum eſſe mediatorem interceſſionis, & redemptionis quandoquidem in Scripturis videmus, Angelos in Cælo, & homines in terris orare pro nobis, & nulla ratio adeſt, ut in dubium vocetur hoc Beatorum officium, & ſubſidium, quod præſtant hominibus fratribus ſuis, & quorum beatitudinem, dum viverent, ſua intereſſe putarunt. Tandem enim quis credere poterit, eos veros amicos nobis defuturos in egeſtatibus noſtris, illorum protectionem ceſſare, vel ceſſare preces eorum, cum fortius agere poſſunt, & validiores fieri, ac potentiores? Cum arctius adhæreant Deo, num ideo minus hominibus favent? an potius in Cælis jacturam paſſi ſunt auctoritatis, qua fruebantur in terris? Nunquid minus valent apud Deum, vel pro nobis minus habent caritatis, quam olim? Deus vero, qui univerſo pepercit populo ad Moyſis adhuc mortalis preces, qui tunc mediator erat; nihil largietur in gratiam tot mediatorum, qui vivent æternum, & qui ſemper coram illo adſunt, & deprecantur?

Si orari poſſunt juſti dum vivūt, a fortiori poſt eorum deceſſum & gloriā orari poſſunt.

Si jus, atque officium poſtulat, ut Sanctos in honore habeamus; ſancta etiam, & ſaluberrima conſuetudo eſt, illos invocandi; & ſicuti memoria virtutum, quas coluere, noſtram meretur admirationem; auctoritas, quam adepti ſunt coram Deo excitare debet noſtram confidentiam. Quin iſtic morer in colligendis hoc in argumento ſenſibus controverſiæ, quæ nauſeam pariat, cum Theologia dico, eſſe quamdam invocationem gratiæ, ſalutis, ac redemptionis, quæ ad unum Deum pertinere poteſt. Ille unus movere, & creare poteſt cor purum, ſpiritumque rectum vi ſpiritus ſui, & efficientia verbi ſui. Ipſe unus dat ſterilibus arbuſtis incrementum laboris, & fidei, quod dare nequit neque qui plantat, neque qui rigat. Ille unus effundit Caritatem in cordibus noſtris per Spiritum ſuum, qui operatur in nobis ſecundum beneplacitum ſuum, & voluntatem, & opus bonum. Sed adeſt etiam invocatio præſidii, ſollicitationis, precum, non directe quidem ad eum, qui per ſe ipſum illuminare poteſt animas noſtras proprio lumine, ſed ad eos, quos credimus diligi a Deo veritatis & caritatis, a quibus tanquam Dei amicis petimus preces, atque interceſſionem. Hoc in ſenſu ſanctus Paulus ſollicitabat Epheſios, qui vivebant adhuc, adhortans illos, ut cum vigilantia, & perſeverantia preces effunderent pro Sanctis omnibus & etiam pro ipſo, ut libere poſſet Evangelii myſteria prædicare. Similiter Theſſalonicenſes, & Coloſſenſes hortatur: *Orate pro me*, illis inquit. Quod ſi æquum, & pium eſt illis viventibus dicere: *Orate pro me:* profecto eſſe nequit actus idololatriæ hoc ipſum illis poſt eorum mortem dicere. *Flechier in Præfatione.*

Honor vel contemptus Sanctorum redit in Salvatorem.

Si honor qui adhibetur Sanctis, ipſi Salvatori, qui caput illorum eſt, adhibetur, nullus dubio locus eſt, quo minus contemptus, in quo illi habentur, cedat in dedecus ejuſdem Filii Dei, qui illos honore cumulavit, cum adhuc inter nos verſarentur. Quod ſi cultum noſtrum, atque reverentiam promeriti ſunt, cum adhuc mortalem hanc vitam viverent, quanto magis a nobis colendi ſunt, cum iterum conjuncti ſunt Salvatori in gloria, & quanto magis eorum contemptus cedet